



1. De Capitulatione perpetua. P. Wildvogel.  
 2. De Negotio Capitulatione Caesar: auxiliatis. P. e Fryck.  
 3. De Donationibus Principum Imperii. L. Ruvinski.  
 4. De Iudicioribz Accollariorum praecognitivis. P. Berger.  
 5. De Rege Romanorum. P. Lyncker.  
 6. De Comitibus Principibus. L. Linckio.  
 7. De Incrementis arbitrii Germanicatur. P. Brunnemann.  
 8. De S. Cesi. Maj. et Imperii iudicio iulico. P. Mauriti.  
 9. De Collectis et Contributionibz Imperii et Provinciarum. P. Genesig.  
 10. De Regali Metallifodinariam Jure. P. Horn.  
 11. De Comitis S. R. I. Electoralibz. P. Citter.  
 12. De Iuribz Augustaem competentibus. P. Brensf.  
 13. De Iure Octofofis. P. Lyncker.  
 14. De Exemptionibz Imperii. P. Burckhard.  
 15. De Religione Obsequi. P. Lyncker.  
 16. De Iure Papali Principum Evangelicorum. B. Atryck.  
 17. Vindiciae Pacificationis Qnabuccensis et Monasteriensis contra  
     Receptionem papam X. Pat. Eugen de Montesperato.  
 18. De Redicione Prædicti Nobilis. P. Müller.  
 19. De Diffidationibz. P. Schwendendorff.  
 20. De Conrado I. P. Ludewig.  
 21. De Conrado III. Cr. Arnold Hebr. de Treskow.  
 22. Paradoxa Juri Maxime Publici. P. Ludewig.  
 23. Traujo supremo Imperio vindicata contra Calixtan et Petean  
     Ecclesiastices Gallos. P. Ludewig.  
 24. De Iure Postarum Hereditario. P. Linckius.  
 25. Egitum Saxonicorum Iura Singulare. P. Leyser.  
 26. De Tertamine præstantiae inter Regnum electivum et successivum.  
     P. Thomafig.

27. De Officiorum Remissione. P. Pryck.
28. Memoriale Iuris Germanici. P. Berger.
29. De Foederibus Statuum Imperii cum exteris. P. Brunnemann.
30. De Jure Victoriae diverso a Jura belli. P. Coccejus.
31. Rex succedens. P. Damys X.



2. D. B. P.

21

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> HISTORICA  
DE  
**Q**UO<sup>R</sup>E<sup>B</sup>US  
**A CONRADO**  
Franciæ Orientalis Rege  
**TERTIO GESTIS,**

quam  
SUB AUSPICIO DIVINI NUMINIS  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIP<sup>E</sup> AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIP<sup>E</sup> PRUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.  
DVCATVS MAGDEB. VICARIO, reliqua.

IN ILLUSTRI FRIDERICIANA

IN AUDITORIO MAJORI

ad diem 17. Octobr. MDCCIX.

publico ac placido Eruditorum examini exhibet

**ARNOLDUS HENRICUS**  
de TRESKOW,  
Eques Magdeburgicus.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

ZT.

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
atque GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. FRIDERICO  
a Steinberg/

Serenissimi Ducis Brunsvigo-Guel-  
pherbitani Consiliario Intimo, Summo Aulæ  
Mareschallo, Supremo Metallifodinarum Prä-  
fecto ac Statuum Ducatus Brunsvicensis  
Ærarii Consiliario, Hæreditario in  
Brügge & Achen/ &c. &c.

*Patrono suo ac Fautori gratosissimo*

*hance dissertationem ea, qua par est,  
devotione offert & dedicat*

Arnoldus Henricus de Treskow  
Eques Magdeburgicus.



§. I.

**D**e rebus a Conrado tertio gestis disserenti ab instituto nostro alienum fore haud opinamur, si, a quo initium suum ortumque duxerit Noster, brevibus indagando, Dissertationi nostra faciamus initium. Hohenstaufiorum enim quod attinet originem, certum eidem est, eos jam diu & antiquitate generis & præclaris facinoribus in Suevia floruisse, attamen hoc unicum tantum, quo antiquius nullum cui fides haberi posse, nobis suppetit de origine illorum denominationeque testimonium, quod ipse Nostri uterinus Otto Frisingensis Episcopus (a) de iis perhibet. Quod autem dignitatem, qua majores Conradi gavisi sunt, concernit; inter Nobilissimos Sueviæ comites locum eos tenuisse & relatos esse compertum habemus. Usque dum in Patrem Conradi, cui Friderici nomen fuit, una cum Sueviæ Ducatu ipsa Ducalis dignitas ab Henrico IV collata fuit. (b) Cujus non solum filiam in matrimonio habuit, verum etiam de eo tot insignibus fortitudinis integræque fidei in primis contra Anti-Cæsarem ejus Rudolphum editis speciminibus e) optime meruerat.

Johannus chalcographus in Lübeck anno 1710  
mudq

A 2

a) Ita

\* (4) \*

- a) Ita enim de Gest. Frider. I. lib. i. cap. 7. scribit; *Ea tempore*  
*state comes quidam Fridericus nomine ex nobilissimis Suevia comiti-*  
*bis originem trahens in castro Stophie dicto coloniam posuerat. Cujus*  
*castrum nomen, (quod idem fuisse videtur, quod adhuc hodie*  
*in Brisgovia situm Austriacæ ditionis est,) ubi sedem fixe-*  
*rat Fridericus, postea in totius familiæ cognomen abiit,*  
*ac distinguendis iis, qui ex hac illustri gente imperio præ-*  
*fuerunt, ab aliis Regibus ac Imperatoribus commode olim*  
*inservivit. Hoc Ottonis Frisingensis testimonium eo plus*  
*fidei meretur, quo certius & exploratius est, cum hæc ig-*  
*norare non potuisse, cum ipsius Conradi frater fuerit ute-*  
*rinus. Ipse enim sub initio citati libri capituli decimi an-*  
*notavit, matrem Conradi Agnetem filiam Henrici quarti*  
*secundo matrimonio junctam fuisse Leopoldo Marchionis*  
*Orientali, qui ex ea cum aliis hunc Ottone sustulit.*  
*Id quod nos docet Conradus Urspergensis ad an. 1152. pag. m. 282*  
*plura de hoc Ottone legi possunt apud Vossum de Histor.*  
*Latin. l. 2. c. 13.*
- b) Eximiæ sunt laudes, quibus Casarem Henricum fidem  
 immutaram ac intrepidum Comitis Friderici in cuiusvis ge-  
 neris discriminibus animum extulisse recenset Otto Fr. de  
 Gest. F. lib. i. c. 8. nostro scopo tantum sequentia inserviunt  
 verba: *Neque enim priorum meritorum tuorum ipse memori existam*  
*(Imperatorem ita loquentem induxit Otto) neque futurorum*  
*ingratus ero. Filiam quippe quam habeo unicam, Tibi in matrimo-*  
*nio fortiadam tradam Ducatumq; Suevia, quem Bertoldas invaserit,*  
*concedam. Sic itaque predictus Fridericus Dux simul Suevorum &*  
*gener Regis factus ad propria rediit. Extincta postmodum ma-*  
*scula Henrici IV progenie morte Henrici V Patris in Im-*  
*perio successoris, Conradus noster & Fridericus ambo Du-*  
*ces Suevæ hujus hereditatem ex jure a matre in eos trans-*  
*missio creverunt, Ducatumq; Franconia una cum Suevæ*  
*Ducatu in luculentum potestatis eorum incrementum fe-*  
*liciter conjunxerunt.*
- c) Non dubium est, quin Henrico IV in debellando Rudol-
- phum

\* (5) \*

phum Sueviæ DuceM, qui Papæ dictis, quam Regis sui, cui fidem suam jurejurando obstrinxerat, plus audiens sese caput ac Regem rebellantium in Germania procerum creari passus fuerat, omni nisu ac debita fide adstiterit, de eo enim dubitari non sinunt verba ex Ottone Fris. jam adducta. Ast an id veritati consentaneum sit, quod a Friderico Hohenstaufio factum communi ore fertur, eum Rudolpho in acie prope Alsteram amnem commissa a Gotherido Bouillonensi lancea prius transfixo manum gladio amputasse, fateor dubium mihi subnatum esse, cum mihi ejus testimonium e scriptoribus illius ævi quærenti id offendere nondum licuerit. Neque enim Marianus Scotus nec Siebert. Gemblac. nec Lamberci continuator nec monachus Pegav. in vita Wigberti Gorzi nec Conrad. Ursip. nec Helmbold. Chr. Slav. l.i.c.29. nec Contraæti continuator hoc factum Friderico tribuunt, quamvis omnes ad an. 1080 aaciei hujus mentionem faciant imo quidam ex illis manum Rudolpho amputatam esse referant. Quorum autoritas apud me plus valet, quam Clariss. Hubneri, aliorumq; qui hoc ut verum docent scribuntque.

§. II.

Quod Imperiale munus Fridericus non sine gravi lite nec non variis, quæ propterea adire coactus fuit, tui-  
rius est discriminibus: Bertholdus enim de Zeringia ge-  
ner Rudolphi Anticæsar is Dux sine ducatu dictus Sueviæ  
Ducatum, socero suo devicto, ab Henrico III sibi pro-  
missum & nunc a Principibus, qui Rudolpho adhaerant  
in se translatum adserens d) eum omni nisu sibi vindicare contendit. Verum merito succubuit Friderico, pro  
quo & causa militavit iustitia ut jus suum a vero & legiti-  
mo imperatore nacto, qui ipsi pacem expertenti hac  
largitus est lege, e) ut titulo Ducis Sueviae ipsoque Du-  
catus sese abdicans nil nisi Turegum Sueviæ oppidum (f)  
sub ditione sua retineret.

A 3

d) Hen-

\*(6)\*

¶) Henrici Imperatoris tertii tempore Suevix præterat Otto  
 Marchio de Sueinfurto, Ottonis Comitis Palatini an. 1045  
 constituti, biennioque tantum elapsi an. 1047, defuncti, in  
 hoc Ducatu ex beneficio dicti Henrici successor. Vid. Hermann.  
 Contract. ad hosce annos & ad an. 1048. cujus ad  
 singulos tres annos verba huc spectantia ita se se habent  
 Otho Palatinus Comes paschali hebdomada Dux Alemannie apud  
 Goslare a Rege constitutus. ---- Interea Otho Suevorum Dux, qui  
 Provinciam sibi traditam pie ac strenue tertio jam anno regebat im-  
 maturo obitu diem clausit extreum. ---- Imperator ( scil. Hen-  
 ricus III. ) Natalem domini in Saxonia moratus confessim per Wur-  
 cburgum in Alemanniam venit & Ulme colloquium habens Ottone  
 de Sinfurto Marchionem Ducem Suevie constituit. Vivente adhuc  
 Ottone Sueinfurtensi Imperator spem fecerat Bertholdo Co-  
 miti Zeringensi, post obitum Othonis, qui improlis erat,  
 Ducatum sibi collatum iri, dato ipsi annulo suo in majo-  
 rem promisi firmitatem & de promisso expli-  
 do certitudinem. Ast infortunio erat Bertholdo, quod  
 imperator unius anni spatio citius e vita abiret, quam  
 Otho Dux, hujus mors teste Hermanno Contract. an. 1057.  
 demum contigit. Sic enim evenit, ut Agnes Henrici te-  
 neræ adhuc ætatis Regis tutrix, quæ, ( testimonium  
 perhibentibus Herman. Contr. ad ann. 1057. & Lambert.  
 Schaffn. ad eundem.) Rudolpho Comiti Rheinfeldensi Du-  
 catum jam tum contulerat, Bertholdo annulum ei offe-  
 renti promissique implementum urgenti aures præbere,  
 benevolas refragaretur. Quibus omnibus fidem facit Ab-  
 bas Urspergen. in Chr. ad an. 1057. ipsi fidem faciente mona-  
 cho Suarzenhaensi, qui Henrici IV tempore vivens Chro-  
 nicon suum condidit, quod ille integrum more illius tem-  
 poris suo inferuit. Tametsi vero ad leniendum Bertholdi  
 ob acceptam repulsam efforatum animum ei post obitum  
 Conradi Carinthorum Ducis Carinthia data esse videatur,  
 quod probant Hermannus Contract. ad an. 1050 & Ursperg. loc. cit. ta-  
 men nullum loquitur Lamb. Schaff ad 1073. Rex Henricus IV Nata-  
 lem

\* (7) \*

Iem Domini Babenberg<sup>x</sup> celebrans. ibi Bertholdo Duc<sup>i</sup> Car<sup>a</sup>  
nothensum ducatum sine legitima diffusione absenti abstulit & Marc-  
wardo cuidam propinquuo suo tradidit. Id quod novam Berch-  
tholdo irascendi Regi tumultusque excitandi præbuit ma-  
teriam, siquidem ex illo tempore illorum partibus sem-  
per adjunctus fuit, qui Regi obnubilabantur. & etiamsi Du-  
catu Carinthia exutus vixerit, Ducis titulum tamen nuna-  
quam depositum sine dubio vel quod se illo injuste priva-  
tum censeret, vel quod semper ad Ducatum Sueviæ ad-  
spiraret. Hunc ad se rapiendi novam nancisceratur oc-  
casionem, cum interempti Rudolphi, qui Ducatum Sue-  
viæ tenuerat, suffragii Principum, qui ab ejus parte fle-  
terant, successor designaretur, quod probant Otto Fr. I. de  
G. Frid. c. 7. in fin. & fragmentum Ursifianum licet corru-  
pto calculo, uti annotavit Obrecht, in Prod. Rer. Alfat. p. 227.  
hisce verbis: Anno Domini 1092. Principes Alemanniæ ad defen-  
sionem sancte Marie Ecclesiæ unanimiter convenerunt, sibique ad hoc  
negotium exequendum fratrem Gebhardi Conflannensis Episcopi Bera-  
toldum de Zeringe Duce totius Sueviæ constituerunt. Ita ut ex  
hisce allatis tam intelligi quam corrigi possint verba Otto-  
nis Frising. quæ ita in lib. i. de G. Fr. e. IX. leguntur. Bertol-  
fus vacuum ex hinc nomen Ducis gerens id quasi hereditarium posse-  
ris reliquit. Omnes enim usque ad presentem diem Duces dicti sunt,  
nullum Ducatum habentes, soloq; nomine sine re participantes. Ni<sup>s</sup> que  
a Ducatu Carentano, quem nunquam habuerunt, Ducis eos nomine  
honorando contendat.

e) Otto. Fr. lib. de G. F. i. c. 8. in fin. id sequentibus memorie pro-  
didit verbis: Bertolsum tandem pacem petere coegit (Fridericus  
scil.) Conditio autem pacis talis fuit ut Bertolus Ducatum ex festu-  
care (id est data Friderico festuca seu stipula in signum  
translati dominii Ducati renunciaret vid. Dn. Cangium  
in Glossar. ad hanc vocem) sic tamen, quod Turegum nobilis-  
simum Sueviæ oppidum a manu imperatoris tenendum ipsi rema-  
neret.

f) Sueviam illo tempore non dum tam arctis, quibus hodie  
conti-

continetur, inclusam fuisse limitibus, quamvis vel ex solo  
 Ottonis verbis jamjam adductis ita patescat, ut nullo  
 videatur indegere ulteriori testimonio, utpote qui Ture-  
 gum germ. Fürch Sueviæ oppidum nobilissimum indigi-  
 tavit, quod tamen consors fræderis Helvetici una cum re-  
 liquis istius fræderis sociis sese in libertatem vindicavit,  
 nostroque tempore liberæ ac separatae reipublicæ speciem  
 præ se fert. Attamen & hic meminisse juvabit ingenui  
 studii & laboris insignis, quod Vir Celeberr. Obrechtus ei-  
 dem argumento illustrando insumpsit. Hic enim in Pro-  
 dromo suo Rer. Alsat. ejusque cap. X. ex optimis monumentis  
 ac testimoniis erutum clarissime deduxit Sueviæ terminos  
 olim tam late patuisse, ut ipsam Alsatiam complexa sit.  
 Quia contra Crucium in Annal. Suev. part. 2. l. 7. c. 1. & lib. 8. c. 8.  
 aliosque autumantes eo tempore, quo Sueviæ Hohen-  
 stauvii adepti sunt Alsatiam a Suevia & quidem a Berch-  
 tolo fuisse avulsam adducto diplomate liquidissime evi-  
 cit Elisatiæ seu Alsatiam adhuc nostris paruisse Hohen-  
 stauviis, hosque diplomaticis suis Alsatia Ducis titulum  
 præscribere inque sigillis appensis Duces Suevorum sese  
 nominare consueverunt. Cui nihil addimus nisi quod Fridericum  
 fratrem Nostri monoculum cognominatum in  
 diplomatica, quo Conradus Corbeiensibus donationem  
 monasteriorum Kemnadtæ & Wisbeca factam confirmavit,  
 quodque Schatenius in Annal. Poder. part. 1. p. 770. & 771. in  
 lucem produxit, sese Duxem Sueviæ & Alsatia subscripsisse  
 observavimus. Verum ut Tigurum redeamus, de quo  
 scribere occupavimus, testimonio Ottonis inde magnum  
 sane robur accedit, quod illis temporibus, quibus Sue-  
 via per Cameræ nuncios id est fisci Regii procuratores  
 vid. Dn. Cangiij Glossar. hac voc. Regum nomine administra-  
 ta est, Tiguri ærarium teditum, qui ex Suevia venie-  
 bant, adseruatum fuisse, ostenderint Guillimannus in  
 Habsburgiacis ex charta Ludovici Pii & Excell. Tenzelius  
 in Vindiciis censurae diplomatici Ludoviciani p. 317. Desit  
 autem

\* (9) \*

autem Suevia per cameræ nuncios administrari cum Erchangero & Bertholdo fratribus, quibus jussu & judicio Conradi Regis Germaniae primi & Procerum capite plexis, vid. *Conti. Reg. ad an. 917*, Suevia sub Burchardo & maxime Hermanno ducibus [vid. Idem ad an. 926] veteris Ducatus formam recepit, cum *Obrechtus* duce *Goldasto* in notis ad *Ratperi casus cap. 2. in Prodrom. rer. Alsat. cap. X. p. 220* sentiat, inter Burchardum, & qui eum antecessere ita dictos cameræ nuncios nullam nisi nominis seu tituli intercessisse differentiam.

§. III.

Pace ita cōposita a duobus hisce Suevici Ducatus Aemulis, Fridericus Ducatus sui quieta gavisus est possessione, eumque ea, quæ tantum Principem decuit, moderatus est ratione; usque dum ætate gravis ac maturus vita concessit, & cadaver ejus in Laureacensi monasterio terræ mandatum est. Hic ex uxore sua Agnete, quam superstitem reliquit binos sustulerat filios, quorum natu major paterno nomine veniens jam ætatis decimum quintum ingressus erat annum, secundogenitus autem, cui nomen Conradi erat annum agebat decimum. Agnetem viduam curæ suæ ac patrocinio commendatam habuit frater ejus Henricus V patris in imperio successor, quo usque in hoc statu perstitit, cujus vero mutatio post breve temporis secuta est spatium, ineunte ea secundum cum Leopoldo Orientali Marchione matrimonium. g)

2) Horum omnium fidus testis est *Otto Frising. de Ges. Frider. lib. 1. cap. 8. 9. & 10.* qui cap. 8. hisce finit verbis. *Fridericus aurem Ducatum Alemannia ex hinc sine contradictione habuit, ac strenue dīebus non paucis rexit --- sub initium cap. 9. ita pergit: Suscepit vero ex nobilissima compare sua Agnete duos filios Fridericum & Conradum, & ipse post multa virtutum suarum insignia in senectute bona siem ultimum claudens in monasterio Laureacensi in proprio fundo constrūto humatus est --- ac pariter decimum caput ita in-*

B

choat

\* (10) \*

choat: Mortuo Alemannorum Duce Friderico Agnetem ab ipso videlicet  
frater ipsius Henricus Imperatoris Henrici filius in sua suscepit, eumque Leopoldo Orientali Marchioni in uxorem dedit, filiis ipsius Friderico quindecim Conrado duodecim annos habentibus.

§. IV.

Fridericus primogenitus paterni id est Sueviae heres factus est b) Ducatus. Qui sese paternarum virtutum gloriola imitatione i) Germaniae Proceribus adeo commendaverat, ut parum abesset, quin post obitum Henrici V avunculi sui, qui k) an. 1125 contigit communibus principum suffragiis, qui novi Regis eligendi gratia Moguntiae labente adhuc eodem anno convenerant, ad summum ac regalem productus fuisset dignitatem. Certo enim constat, eum ex numero fuisse illorum l) quorum in consultationibus Procerum de eo, quem solio imponerent, maxima habita fuit ratio: Nisi odium Pontificium m) quod omnes graviter premebat, qui ab Henrico IV sanguinem ducebant, ei aditum ad maximum hunc honorem præclusisset. Quamobrem cernens Fridericus spem adscendendi avitum solium per machinationes & occulta Pontificis molimina penitus sibi esse interceptam, ira in novum Regem Lotharium magnopere exarsit, ac loco obedientiae officiorumque, quam ei præbere ac offerre debuisset, arma in eum capessivit. Adeo ut cum eodem exercitu, quem Moguntiam, ubi conventus celebrabatur, secum adduxerat, in milites Lotharii, qui ibidem aderant, nilque mali suspicabantur, ex improviso irrueret, strageque eorum non exigua facta, ceteros in fugam verteret. n) Nec adduci potuit Fridericus, ut Lotharium Regem suum agnosceret ac debite coleret, quin potius ad faceffenda ei negotia negotiosissima, belloque diuturno ipsum implicandum Conradum fratrem suum una cum

\* (ii) \*

eum aliis, qui Lothario adversabantur ejusque imperium  
resuebant, Regem Germaniae o ) salutavit. De quo Fra-  
trum conatu certior factus Papa Honorius iis etiam atq;  
etiam succensuit, dignosque eos habuit, qui poena exclu-  
sionis ex cœtu fidelium vulgo banni Ecclesiastici affice-  
rentur. Ast sprevit ac ludibrio habuit hoc Papæ in eum  
emissum fulmen Conradus, quippe regnum hæreditario in  
se jure devolutum elle persuauum sibi firmiter habebat, nec  
non per electionem ejus a fratre aliisque factam deside-  
rio regnandi magis magisque incensus erat: illico igitur  
iter in Italiam suscepit, ut Lothario anteverteret coro-  
nainq; Italicam præriperet. Nec spes eum fecellit, ingrel-  
sus enim Italiam plurium urbium amplissimarum Recto-  
res incolasque sibi pronus suaque parti ac causæ admo-  
dum offendit amicos, adeo ut Mediolani existens ab eius  
civitatis tune temporis Archiepiloco Anshelmo dicit ap-  
plaudente cuncto Clero ac populo corona longobardica  
rite & solemniter cingeretur. Quamvis vero Conrado  
fortuna haud parum arridere videretur, attamen uteque  
fratrum tandem satis cognoverunt, fortunam sibi suis illu-  
sisse blanditiis, seq; omnem perdere operam ac oleum,  
quam opprimendo Lothario impenderent. Ideo ne ulte-  
rius contumaces sese gerendo ineluctabile ac æternum  
Regis contraherent odium, sibique metipsis omnem in  
ejus gratiam redditum præcluderent, satius esse existima-  
runt, in tempore gratiam atque veniam admisæ perti-  
nacæ a Cæsare expetere, in quam ambo spe haud sua  
frustrati p) ex voto recepti sunt.

b) Id firmatur testimonio Ottonis de G. Fr. lib. 1. cap. X. se-  
quentem in modum sribentis; Porro Fridericus natu major  
Pari in Ducatum successerat.

i) inutile & superuacaneum fore arbitror, si ipsa virtutis  
præclara specimina hic prolixius recensere vellem. Que  
B 2

Ottio

\* (12) \*

Otto Fris. de G. F. l. i. cap. 12. 13. & 14. scripta ac annotata nobis reliquit, nobis hic adduxisse sufficiat verba ejus, quæ in alleg. cap. 14. circa finem ita habentur. Quid plura? Prataxatus (h. e. prædictus) Dux, ut breviter dicam per omnia patrem induens tam fidus principi miles tam utilis avunculo amicus extitit, ut sua virtute honorem regni labefactatam viriliter contra hostes tam diu decertando sustentaret, donec membra a capite disidentia ad gratiam principis veniendo, ad cor redirent.

- k) Tametsi enim non pauci mortem ejus in annum sequentem referant, omnem tamen iis fidem derogant tabulæ publicæ primo Lotharii regni anno confectæ, qualem ex Tritbemii Annali Hirsangensi adducit, eaque mortem Henrici anno citato evenisse contra contrarium sentientes probat Pagi in critica ad Baron. tom. 4. ad h. an. n. 7.
- l) Liquet hoc ex eo, quod ab Ott. Fr. memoria proditum in Chron. ejus lib. 7. cap. 17. reperitur, quod iisdem, quibus legitur hic adscribimus verbis: Anno ab incarnatione Domini 1125. defuncto absque herede Henrico V. Principes Moguntie convernunt, ibique habitu de successore consilio quatuor Regni Optimates Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum Leopoldus Magio Orientalis, Carolus Comes Elandrie ad regnum designantur.
- m) Verebat enim Pontifex, ne odium, quo par illud Henricorum Pater & filius sedem Pontificiam prosecuti fuerant per sanguinem Henrici IV. in eos propagatum fit. Ideo Pontifex legatum in Germaniam misit, quo præsente & instigante teste Otto Fr. Cbr. l. 7. c. 17. Lothario tanquam viro ecclesiastico juri devoto, uti eum deprædicat Robert. de Monte ad ac. 1126. fasces imperii delatae sunt. Cui accedebat, quod Fridericus Alberto Archiepiscopo Moguntino graviter invitus esset, qui memor injuriarum, quæ sibi ab eo illatae erant, Principibus, qui suffragia sua pro eo latrui videbantur id omni ratione dissuasit. Ita enim rem refert Otto Fr. de G. Fr. lib. 1. c. 16. Hic pariter imperii insignia penes se tenebat, quæ mortuo Henrico V. certo ne in Friderici manus pervenirent, a Mathilde relicta ejus conjugæ

\* (13) \*

- conju<sup>g</sup>e infinitis inducta promissis consecutus fuerat. Ottonis verba, quibus nos hoc docet in lib. i. de G. Fr. c. 15. sunt sequentia. Ac imperatrix Mathildis Henrici Regis Anglorum filia regalia in sua porfylate habebat. Quam predictus Adelbertus Maguntina Ecclesie Archiepiscopus ad se vocavit, salisque promissis ad sibi tradenda induxit. E vestigio hic adnotamus, salitatis convinci, ex hoc loco id, quod Schaten in Annal. Paderb. ad an. 1125. p. 708 scripsit, Insignia imperii penes Fridericu<sup>m</sup> & Conr<sup>adu</sup>m fratres & Henrici defuncti consebri nos fuisse.
- n) Omnibus hisce fidem facit Ordericus lib. 12. ab Anton. Pagi. in Critic. ad Baron. ad an. 1125. n. XI. citatus, qui ea quæ finitis gesta sunt comitiis hisce verbis narrat: Dissoluto conventu exercitus Friderici super Lotharium irruit, ipsumque & plurimos de parte ejus vulneravit & terga vertentes fugavit. Fridericus enim armatorum fere XXX millia secum adduxerat, quia timore vel favore se se regem fore autumabat. Sed quia probi Pontificis ingenio preventus velle suum perpetrare nequivit per Conradum fratrem suum maximam pestem modum guerram fecit.
- o) Hæc & sequentia ab Otton. Fr. in Chr. lib. 7. c. 17. brevibus consignata sunt verbis: Fridericus & Conradus juvenes dum se videbant opprimi, in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quam causam a summo Pontifice Honorio excommunicantur. Porro Conradus a fratre ac quibusdam aliis Rex creatus Pyrenæum transcedit, ibi a Mediolanensis honorifice suscipitur at ab eorum Archiepiscopo Arselmo Modorei sede Italici regni in Regem ungitur. Qui plura de Conradi in Italiæ facti itineris successu legere amat, consulat ea, quæ de his narrat Landulphus junior cap. 39. in Monum. Basili. Ambros. n. 342. cuius verba citat Pagi. in Critic. ad Baron. tom. 4. ad an. 1128. n. 12. & 13.
- p) Otto Frising. in Chr. l. 7. c. 19. rem ita refert, ac si eodem tempore hi duo fratres in gratiam Imperatoris redierint, ve: ba e<sup>ius</sup> ibi in hunc modum concepta leguntur. Imperator generali curiam Bambergæ circa medium quadragesimam celebrans. Conradus & Fridericus Duces interventi Clarevalensis Abbatis Bernhardi in gratiam recepit. Verum distinctior ejus est relatio, quæ basce verbis facit Chronograf. Hildeſ. ad an. 1135. Dominicana ante

medianam quadragesimam scil. 16. Kal. April. frequens: Principum fere totius regni conventus fit apud Babenberg imperatore presente, ubi Dei gratia adspirante Fridericus Dux Suevorum (qui cum Fratre Conrado ad imperium adspiraverat) comitantibus principibus in cordiam cum Imperatore [scil. Lothario] sociatur — — In festo S. Michaelis in loco, qui dicitur Mulhusen, Conradus frater Friderici Ducis Imperatori reconciliatur.

## §. V.

Mors tandem Lotharii, quam an. 1137<sup>q</sup>) cum vita comucavit, liti huic penitus fidem imposuit. Pertigit enim sic ad scopum suum Conradus Procerum unanimi fere consensu in successorem ejus rite electus. r) Peracta est electio adstante ac presente Theodo uno sedis Apostolicae legato, qui idem & Conrado Aquisgrani solemnibus adhibitis ceremoniis coronam imposuit, Arnoldo tum temporis Coloniensi Archiepiscopo fungendi hoc negotio incapace. Verum justa talionis lege Conradus potentior rem & sane pertinaciorem obtenti regni experiri necesse habuit æmulum, quam quidem ipse Lothario prædecessori suo exfliterat. Mirum enim in modum male habuit hæc electio Henricum<sup>s</sup>) generum Lotharii Ducem Saxonie, ille enim non solum haeres odii, in quo Hohenstauffi apud Lotharium erant, gravissimi, firmiter & que persuasum sibi haberat, se talem & imperii futurum, idque principum suffragiis sibi datum iri, imprimis quod Imperii insignia<sup>t</sup>) custodiae sua a Lothario, cuius morti adfuerat, credita secum haberet. Adeo ut quamvis omnes fere Principes ac proceres etiam Saxones ad celebranda, quæ Babenbergæ<sup>u</sup>) indicta erant, comitia, gratulandumq; Conrado de obteneis Imperii fascibus certatim advolarent, Henricus solus tamen jussu Regis nuncium remisit, insignibus Imperii tantum ipsi Reginoburgum missis<sup>v</sup>) Rex ut obviam iret in tempore moliminibus, quæ sibi ab hoc

Æmulo

Æmulo suo viribus ac animo valentissimo imminere non sine justa ratiōne suspicabatur, ei Augustæ Vindelicorum <sup>w)</sup> ad comparēndum diem dixit, rationem ab ipso poscitūrus, quare suam electionem tam indigne ferat, sibique debitum obsequium præbere detrectet? Movit eo Henricus cum exercitu ea qua potuit festinatione collecto, castra, cum eo pervenisset ad Lycum amnem statuens, ita ut arma potius cum Rege quam verba collaturus videretur. Sed metuens Rex, ne vim hostium sustinendo impar sit, anci-  
piti belli aleæ rem committere noluit, Heripolim potius concessit, ibique accusata ejus contumacia hostiliq; quæm  
præ se ferat, in Regem animo suffragantibus nonnullis qui aderant principibus Henricum <sup>x)</sup> proscriptit. Quo factō con-  
ventum Principum Goslariae coegit, & Henricum in judicio eorum ut indignum utroque Ducatu Saxonie & Bavariae privavit, illo Alberto Marchioni, hoc Henrico uterino suo collato.

2] Baronius in Annal. Eccles. Lotharii mortem anno demum sequenti refert, quem errantem veritati quidem restituit Anton. Pagi in Critica sua in laudatos Annales ad an. 1136. n.  
6. seqq. plenam ibidem pariter instituens disquisitionem de die Lotharii emortuali, atque statuens conciliatis invicem Dodechino, Alberto Stadensi ut & Chronog. Hildes. no-  
te inter iii & ii Nonas Decembr. vitam eum reliquisse. At hoc labore maxima ex parte superfidere potuisse laboriosissimus pariter ac felicissimus in erroribus quibuscunq; præsertim Chronologicis detegendis corrigendisq; Vir, nec opus habuisset, quod mortem Lotharii nocte inter utramq; diem intermedia contigisse statuendo dissentientes inter se scriptores ad consensum & consonantiam reduxerit, si notam tantummodo haberit inscriptione plumbeæ, quam in mau-  
suleo Lotharii cum an. 1618. ab auri prædæve avidis hostibus aperiret, repartam Henricus Meibomius præsens descri-  
pfit

psit ac in tom. Rer. Germ. in notis ad Herlingsbergam tom. I. pag.  
 798. publici juris fecit. Patet enim inde clarissime ex an-  
 nis regni ipsius, qui ibi notati sunt tum an. 1137. cum II.  
 Nonas Decembr. id est die quarto M. D. Lotharium vi-  
 vere desisse. Attamen haud penitus ullo teste caret Ba-  
 ronius nec ejus opinio ex proprio sensu de prompta vide-  
 tur. Otto enim Frising. ipse mortem Lotharii ad annum  
 sequentē seu 1138. refert, eum anno regni sui decimo tertio de-  
 cessisse scribens: Verba Ottonis, quæ in Chron. ejus lib. 7. cap.  
 20. offenduntur, ipsa subjungemus, cum uterque locus,  
 tam ubi morbo correptus fuit Lotharius, quam ubi mor-  
 tuus sepultus est in ipsis commemoaretur, nec non lauda-  
 tæ plumbeæ mentio fiat. Igitur Lotharius ex Italia rediens a-  
 pud Tridentinum morbo correptus est, in ipsis montibus in vitilissima  
 casa Imperator potentissimus misericordia humana conditionis relinques-  
 memoriam XIII. regni imperii vero VII. anno plenus dierum obiit  
 --- & ipse per angustam ac Orientalem Franciam in Saxoniam ad  
 monasterium Lutter, quod construxerat, deportatus honorifice sepe-  
 litur, atque ejus, ut nulla possent aboleri oblitione, in plumbeis  
 laminis descripsi juxta eum reconduntur. Hæc verba non attente  
 legisse Anton. Pagi antea citatum, non obscure inde colligi  
 posse mihi persuasum habeo, quod in Critica sua in Baron  
 tom. 4. ad an. 1139. n. l. contra Baronium demonstrare allabo-  
 ravit Ottone Frising. qui in Chronico suo l. 7. c. 22. sub ejus ini-  
 tio ita scripsit: Anno ab Incarnatione Domini M C XXXVIII.  
 defuncto in autumno sine filio Lothario conventus generalis principi-  
 pum &c. supposuisse, Lotharium jam tum superiori anno  
 finem vitæ fecisse. Quam autem præsumptionem expres-  
 sa Ottonis verba supra citata subito refellunt. Posito e-  
 nim, Lotharium an. 1125. in Regem electum fuisse, uti re-  
 fert Otto Fris. cuius verb. supra lit. L. citavimus & citat  
 ipse Pagi ad illum annum n. IX, & X. in aprico esse exi-  
 stimo, Frisingensem, qui in loco jamjam citato Lotha-  
 riuum anno regni XIII. extinctum scripsérat, sibi ipsi tacite  
 haud contradictum fuisse, sed eum an. 1138. mortem  
 Lotha-

Lotharii contigisse scribere voluisse, ut cuivis qui tredecim annos regni Lotharii anno, quo electus est, scilicet 1125. addet, calculumque subducet, clarissime patescat.

¶] Quo tempore loco quave ratione electio Conradi ejusque coronatio peracta sit, optime addiscere licet ex Chr. Ott. Fris. lib. 7. c. 22. ubi sequentibus utitur verbis: *Anno ab incarnatione Domini MCXXXVIII conventus generalis Principum Moguntia indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes, ne forte in generali curia Henricus Dux Noricorum, qui tum pricipui nominis & dignitatis in regno fuit per potentiam prevaleret, circa mediam quadragesimam consilio habito in oppido Gallie confluentum conventum celebrant, ibidem Conradum Imperatoris Henrici sororum presente Theoduno Episcopo Cardinale ac S. Ecclesie legato summi Pontificis ac totius Romani populi urbiunque Italia assensum promittente Regem creant. Qui mox ad Palatium aquis veniens a predi<sup>o</sup> Cardinale (nam Coloniensis, qui id facere jure debuerat, noviter inthronisatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Trevirensi ArchiEpiscopis cum ceteris Episcopis in Regem ungitur. Idem refert Dodechin in Chron. ad hunc annum Robert. vero de Monte an. 1137. eam commemorat. Addatur Godfred. Witerbiens. Conrado nostro a sacris & secretis scriniis part. 17. Chron. an. 1139. & Albert. Stad. ad an. 1138.*

¶] eo enim inconsulto & absente quasi clanculum a ceteris Proceribus ac Principibus electio peracta erat, uti ex loco Ottonis sub lit. R. citato satis liquet, cum tamen ei tanquam Bavaria simul & Saxonia Duc ex duplii sane capite jus suffragium ferendi competitisset, ejusque consensus expedendus fuisset. Quamvis enim illo tempore jus eligendi nondum ad solos magnos Duces, quibus id demum labentibus annis exclusis reliquis principibus accrexit, spectaret, verum cuiuslibet Ducatus Proceres adhuc juris hujus participes essent, hic tamen nec Proceres in primis Saxonia, nec Ducem ad electionem Conradi vocatos vel admissos fuisse legimus. Quare nescio num ne summo jure hanc electionem Henricus Dux Ejusque Proceres injustiti<sup>z</sup> accusare, camque illegitimam dicere potuerint uti eos fecisse Otto. Fr. sed qui simul studium suum partis Conradi prodit, testatur in Chr. l. 7. c. 22. circa

ca finem. At Saxones & Dux Henricus aliquis, qui electioni non interfuerant regem non legitime sed per surreptionem electum calamniabantur.

O) Otto Frising. dum in Chr. l. 7. c. e. XX. mortem Lotharii recentet, hoc memoriae prodidit ita scribens; Regalia Dux Henri-  
ous gener ejus [scil. Lotharii] in cuius finibus obierat; accepit.  
Mos in Germania ab antiquo jam invaluerat, quod Re-  
ges imperii insignia, ubicunque locorum degerent, sem-  
per secum ut individuum Comitem una haberent ac cir-  
cumferrent, sane quia in eorum diligentia custodia fulcrum  
imperii sui non fragile positum esse opinabantur. Quamobrem  
si moriebantur ille sibi videbatur jus aliquod in imperium  
non exiguum spemque succedendi non vanam nactus es-  
se, qui ea a moriente vel aliunde conquereretur. Hanc  
ob rationem factum est quod apud Sig. Gamblac. ad an. 1002.  
& Ditm. Mersab. in Chron. part. IV. p. 358. edit. Leibniz. legimus  
Henricum eo temporis momento adhuc Bavariae Ducem  
Heriberto Coloniensi Archiepiscopo funus Ottonis III. ex  
Italia in Germaniam per Bavariam ducenti imperii insignia  
vi extorisse. Nec alia fuit ratio, qua suasit Adelber-  
to Moguntino Archiepiscopo, quod supra lit. m. ex Ot-  
ton. Fris. retulimus, ut Mathildem viduam Henrici V. ad  
tradenda sibi insignia tot tantisque promisitis permoverit,  
quam ad impedendum, ne Conrado cederent, hicq; in-  
de ansam arriperet imperium ut jure successionis sibi de-  
latum eo vehementius poscendi. Clarum hoc evadet,  
quam quod clarissimum ex loco Utrispergenf., qui est pag. m.  
365., quem merito hic addimus. Philippus ad partes Rheni  
se contulit in continenti & natalem Domini in castro Hagenau cele-  
bravit. Ibi venerunt ad eum & officiales & ministeriales & qui-  
dam de principibus & baronibus terre, cum quibus habuit mysterium  
consilii sui. Ibi etiam aderat Conratus Argentinensis Episcopus,  
qui etiam promisit favorem suum & auxilium diuide obrinendo im-  
perio. Volebat enim tenere imperium, cum in potestate  
sua haberet insignia imperialia, utpote coronam & crucem  
& alia,

& alia quæ attinebant. Solebant pariter Reges morti vicini & de vita desperantes ad eos insignia mittere, quos successione præ aliis dignissimos judicabant, ut Principibus eum quasi digito monstrarent, quem in successorem regni adsciscere deberent: Exemplo nobis sit Conradi Franciæ Orientalis Regis primi factum longe prudentissimum, qui moribundus Fratrem suum Eberhardum cum insignibus imperii ad Henricum Saxoniam Ducem perferendis ad eum ablegavit. *Vid. Witckind. Corb. Ann. lib. 1. p. 636. edit. Meibomio: Regino ad. an. 919.* fratremque admonuit, ut electioni Henrici, in quem ut regno dignissimum ceteros Proceros conspiraturos prævidebat, amore in patriæ quietem subscriberet. Nulla pariter alia causa incitaverat Ezonem Comitem Palatinum ad repugnandum electioni Henrici Sancti, ipsumque imperium ambiendum, quam quod hic insignia, quæ Otto III. illi tradenda Heriberto commendaverat, adhibita vi interceperit, uti ex manuscrit. Broviller, demonstravit *Tolner. in his llo. Palat. cap. 9. p. 233. seqq.* Uti vero multum juris in imperium tribuere credebatur insignium imperii possessio, ita et contrario maximas saepius ei excitavit turbas, qui Rex salutatus insignia a possessore eorum repetere volebat, vt pote qui ea tanquam pinguis juris cujusdam in imperium retinere omni nisu sibi contendebat, cuius Henricus Saxoniam Dux jam nobis exemplum præbet. Perduravit autem hic mos, de quo scribere occupavimus, usque ad Sigismundi Imperatoris tempora; ille enim cum ut plurimum in Bohemia regno suo hæreditario vitam ageret, ac Husitico bello implícitus non raro cum iis infeliciter pugnaret, veritus est ne & ipse hic thesaurus fatis ita jubentibus, aliquando hostium præda fieret. Quapropter de munito cogitare cœpit loco, in quo illum secure & perpetuo deponeret. Et cum Norimberga ei in primis arrideret eo insignia perpetuo ibi custodienda transtulit ubi & ad nostra usque tempora constanter asservata sunt. Cui plura legere libet

de hac translatione insignium Norimbergam facta adeat  
Wagenſil in Comment. de civit. Norimb. in cap. 20. p. 226. seqq.

¶) Certior enim factus Rex Duci Saxoniz proceribusq; ejus  
aliisve non probari suam in Regem electionem, eam illegiti-  
time factam esse opinantibus dicentibusque, illis omnibus,  
ut̄ Otto Fris. in Cbr. lib. 7. cap. 22. circ. fin. loquitur, in Pentecoste  
generalē curiam Babenberge indixit, cuius eventum idem in cit.  
Chron. cap. seq. ita recensere pergit: Itaq; Conradus Rex in Pen-  
tecoste curiam in presata civitate, uti conditum erat, cum maximo re-  
gni fastigio & maximo conventu principum habuit: Ubi omnes Saxo-  
nes simul cum viduata Principatricē Richenza venientes ultro se sua  
ditioni subdidere. Sola Henricus Dux regalia servans aberat. Vid. Do-  
deckin. ad ann. 1138. Godefrid. Viterb. part. 17. Chron. edit. Pistor. p. 51.

) Non enim obtemperante Henrico iussi Regis Babenber-  
gæ comparando, Conradus desiderio insignia imperii re-  
nendi flagrantissimus Ratisbonæ ipsi diem præfixit ad re-  
galia sibi tradenda. Quo Henricum sese contulisse, insignia  
que variis sed vanis ad id ille cū promissis Regi tradidisse  
tradit. Otto Fr. in Cbr. lib. 7. c. 23. Conf. Dodeckin. ad an. 1138. & Viterb. l.c.

) Nititur hoc cum iis, quæ sequuntur testimonio Conradi Ur-  
spengensis, qui in Cbr. suo edit. Phil. Melanchth. p. 279. ita scribit:  
Sed ad extera, quæ ulterius inter eos tradenda erant, dies ei in brevi  
post Augustæ prefribitur. Quo ex condicō assūptis fidelibus suis &  
militie non modico venit ac super Licum ex opposito civitatis rege ci-  
vilitatem tenetie castria posuit &c. cetera enim aspiditas lectoris  
supplebit.

) Sola sane potentia Ducis, qua ipsum Rēgem superabat, eum  
Regi in suspicionem adduxerat. Contra quam sese haud  
fortius munire posse ratus est, quam si Henricū potentia hac  
exuereret, sine qua omnia illius conamina ipsi adversa irri-  
zia forent. Quod consilium Regi aures ita obdiderat, ut e-  
as precibus Ducis de impretranda contra officium suum ha-  
stenus commisisti remissione prabere omni ratioñe refragaretur. Quid in potius, ut iræ sua inserviret acerbissimam  
ei infligere festinavit prenam. De quibus omnibus audia-  
mus testimonium Otto Fris. qui ea in Cbr. lib. 7. c. 23. hisce ver-  
bis

bis consignavit. Cumq; multis modis homo præpotens & animosus, sed nutu Dei humiliatus misericordiam peteret non impetrare etiam tandem iudicio quorundam principum apud Herbipolin proscriptus, ac proxima nativitate Domini in Palatio Goslarensi Ducatus ei abjudicatur. Quibus Otto hoc Ἐπιφῶνηα subiungit. Et mirum dictu Princeps ante potentissimum & cuius autoritas, ut ipse glorificabatur (quod causam mihi præbuisse videtur inimici ipsius, quod superbum eum postea cognominare coniuevit.) a mari usq; ad mare id est a Dania usq; in Siciliam extenuebatur in tantā in brevi humilitatem venit. &c. Prætextum, quo usus est Conradus, Helmold, in Chron. Slavor. lib. 1. c. 54. indicavit, scilicet ini-  
quum ipsi visum esse, ut unus simul duos teneat Ducatus. Verum enim, vero in speciem tantum fixisse Regem hanc rationem, vel inde saltim eluet, quod non unum Ducatum sed utrumque Henrico abrogavit; Bojoariam enim eum Leopoldo Marchioni orientali contulisse auctor est Otto Fris. Chr. lib. 7. c. 23. Saxonia autem Albertum Marchionem donatum fuisse testis est Helmold. in loc. citat. in præmium sine du-  
bio conferenda in Henrici potentia frangenda opera. Immo Conradus ipse sibi contradixit ita statuendo, quippe qui ad Albertum Ursum jam antea Marchionem cumq; Principem novum deferri Principatum constituerat atque adeo uni duos subesse principatus voluit. Quæ est opini-  
oio Celeberr. Schurtzleisch. in Dissert. de Henrico Leone cap. 13. in notis. Nec sentio hunc Conradi obtentum quadam lege imperii expressa vel tacita inniti, cum potius tam antiqua quam recentior historia exemplorum in contrarium sit fe-  
cundissima. Sic Saxonia Burchardo Conradi Regis I gene-  
ro (id est fororio vid. Du Cang, in Gloss. hac voc.) defun-  
cto seu potius ab Hungaris per Germaniam tum tempori-  
ris vagantibus furentibusque necato vid. Lamb. Schaf. ad  
an. 909. & Herman. Contr. 910. Henricus Auceps Thu-  
ringia potitus est. Vocatur enim hic a Luprando in  
historia sui temporis lib. 2. c. 7. Saxonum & Thuringorum  
Dux præpotens. Otto M. generum suum Conradum jam

\* (22) \*

Franconia Ducem & Lotharingia praefecit Ducatui juxta Reginonis Continuat. an. 943 & Sigebert. an. 944. Ipsos Cæsares Henricos majores Conradi nostri Sueviae & Franconiae ducatus simul gavilos fuisse, quem latet? Imo nil vetuisse quominus duos simul Electoratus tenere licuerit, demonstrat exemplum Sigismundi, qui uno eodemque temporis momento duos Electoratus Bohemicum & Brandenburgicum sub sua habuit ditione, cum hoc enim, quem a Patre Carolo IV, qui eum ab Ottone luxurioso ultimo stirpis suæ Marchione emerat, nactus erat, illum a fratre Wenceslao, qui Imperio quidem sed salvo regni Bohemici jure motus erat, hæreditatis jure obtentum conjunxit: Job. Dubrav. histor. Bohem. l. 22, 24, 25. Melch. Goldast. Reichsstat. part. 2. an. 1426.

§. VI.

Quæ a Cæsare ex iracundia ardore lata sententia grave & funestum in Saxonia accendit bellum. Albertus enim, ut Ducatum Saxonia suæ faceret ditionis, ingenti eum invasit exercitu, ac suffrante ei ubivis fortuna parvi temporis interyallo fortissimas munitissimasque *Saxonia urbes*) ad ditionem cogendo sub suam rededit potestatem. His rebus feliciter gestis arma in Nortalbinam Saxoniam vertit ac transtulit, nec minori usus est fortuna, siquidem Adolphum *Holstie comitem* z) qui fidem Henrico Duci suo adhuc servabat integrum, facili negotio e terris suis ejecit a) eamque Saxoniæ partem sui pariter juris fecit, Henricum *Badevidum* b) in exturbati Comitatu suo Adolphi loco collocans. Simul ac fama de tam secunda Alberti in expeditione contra Saxones fortuna per lata est ad Henricum, qui eo tempore in Bavaria degebat, hic iter in Saxoniam maturavit paucis admodum stipatus *comitibus*. c) Quo cum venisset, auxilio Saxonum & ope socrus suæ Richenziæ adjutus Alberto Saxoniam rursus feliciter eripuit d) Adolphumque pariter in comitatum suum

suum restituit. Saxoniā hac ratione armis recuperatā, Henricus castra movit in Thuringiam e) bello Regem ipsum petitus, sed parum aut nihil memoratu digni peregit, Conrado enim a bello ob ancipitem forte ejus eventum declinante, ab utraque parte statim inducē initæ sunt. Henricus in Saxoniam regressus est, sed redux factus, accepto nuncio Leopoldum Austrium f) interim totam ferme sibi subjecisse Bavariam, ducendi eo exercitum capit consilium g) ast in itinere adhuc constitutus morbo aliquo citra opinionem e vivis sublatus est.

- \*) Quæ haeruerint, nos docet Helmold, in Chr. Slav. l. i. c. 54. n. 8. ajens: Bellabant ergo bi duo principes duorum suorum filii intellītūs præliis, & commota q̄b universa Saxonia. Et quidem Albertus præripiens castrum Luneburg cum civitatibus Bordewick atque Bremæ occidentali Saxonia potius est. repetit hæc Albert. Stad. ad an. 1138.
- \*) Hic filius est Adolphi, qui comitatum Holstatiæ a Lothario Saxoniæ Duce sibi donatum primus suæ intulit familiæ. Occiso enim Godefrido in infelici cum Slavis conflictu teste Helmold. in Chr. l. i. c. 35. Cometiam vacantem dedit Luderus Dux nobili viro Adolfo de Scovenburg, uti idem cit. lib. c. 36. pergit: in cuius genus & originem hic penitus inquirere nobis quidem incumbet, nisi otium nobis jam fecisset Clariss. Bangertus in notis omnis doctrinæ refertissimus ad Helmoldi Chronicon & quidem ad locum modo laudatum lit. a. quo eum ex nobili Sanderlebenium gente, quæ in Archi-Episcopatu Magdeburgenfi maxime antiquitate sua clara extitit, genus ducere ad liquidum ostendit.
- \*) Helmold. in Chron. Slav. c. 54. Sed & Nordalbingorum fines partibus ejus (scil. Alberti) appliciti sunt. Quamobrem comes Adolphus provincia pulsus est, eo quod fidem juratam Imperatrici Riebenze & genero ejus (scil. Henrico) temerare noluisset.
- \*) Idem cit. loc. Cometiam ejus (nempe Adolphi) urbes & servitia Henricus de Badewide beneficio Adelberti affectus est. Quem ex familia Comitum de Orlamunde ortum traxisse juxta Korneli

- neri Chron. Manuser. f. 26. affirmat: Bangert. in not. ad lib. I. Hel-  
moldus eum virum otii impatientem armisque strenuum  
fuisse prædicat. in Chr. Slav. p. 134. n. 3.
- c) Huc facit, quod Otto Frising. in Chr. l. 7. c. 23. hisce verbis  
scripsit, ut pene omnibus fidelibus & amicis suis in Bojoaria a se  
deficientibus clam inde egressus quatuor tantum comitatus sociis in-  
Saxoniam veniret.
- d) hujus rei melior nullus est testis Helmoldo in Chr. Slav. l. 7. c.  
56. n. 5. ita scribente: Postquam ergo Henricus gener Lotharii au-  
xilio socrus Richenzae imperatricis ducatum obtinuit, & nepotem su-  
um Adelbertum Saxonia deturbavit, Adolpus comes reddit in come-  
tiam suam. Addatur Albert. Stad. ad an. 1139. conf. Cranzius in Saxon-  
ia lib. 6. c. 7. & lib. 6. metrop. c. 16.
- e) Id. Ejusdem testimonio quod in Chr. ejus cit. loc. inveni-  
tur, probatur. Post hec Henricus Leo cepit armari adversus Con-  
radum Regem, duxitque contra eum exercitum in Thuringiam ad lo-  
cum, qui dicitur Cruceburg. Bello itaque per inducas protracto  
dux reddit in Saxoniam & post non multos dies mortuus est. No-  
tari hic moeretur, Henricus ab Helmoldo Leonem cognoscinari,  
uti jam tum in cod. lib. c. 35. fecisse legitur. Potius  
ideo fidei historicæ convenire puto, si ei & nostro tem-  
pore cognomen magnanimi vel hoc Leonis indatur, quam  
quod, uti plures ferè omnes facere consuevere, superbus  
indigitetur, quod cognomen ei non nisi ab inimicis suis  
tributum esse videtur. Quæ pariter est opinio Excellen-  
tiss. Leibnizii in *Introduct. in scriptor. hist. Brunsv. ad Chr. Vein-  
gartense.*
- f) Otto Frising. nos de Leopoldi in Bavariam expeditione e-  
jusque successu certiores reddidit in Chr. l. 7. c. 25. Leopoldus  
Marchio sive ep. a Rege Ducatu Norico, omnibus penz Baronibus ad  
eum pertinentibus amore seu teriore ultro ad eum confluentibus pri-  
mo metropolim ac sedem Ducatus Ratisbonam ditioni sua subdidit  
&c. Qualis hæc urbs permanit, usque dum a Friderico  
Nostr. successore Ducatu Bavariæ exempla immunitateq;  
ac privilegiis maximis donata in numerum liberarum Im-  
periū civitatum cooptaretur. Quod tunc factum esse, cum  
Ducatus

- Ducatus Bavariae in Ottone Wittelsbachium transferre-  
retur, refert AdolsReuter in Annal. Bojic. p. 1. l. 23. n. 2. Avent.  
lib. 6. Annal. in fin. Limneus in Iure Publico tom. 3. VII. 36. Ex quo  
tempore sedes Ducis Monachum pariter videtur translata.  
g) Idem in Chr.lib. cit. cap. cit. Ea tempestate Henricus Dux dum-  
in Saxonia Albertum Marchionem sibi rebellantem in tantum humili-  
asset, ut castris ejus dirutis, terris circumquaque vastatis, ad Re-  
gem auxili gratia ire compulisset, omnibus suis ibidem rite dispositis  
jam in Bojoariam ire propositusset, morbo corruptus diem clarus ex-  
tremum, ac iu monasterio Lutter juxta sacerorum humatur.

§. VII.

Fatis functo Henrico magnanimo potius quam  
superbo cognominando, saxones filium ejus æquivocum,  
qui tenerrima adhuc erat ætate Ducem salutant. b)  
Leopoldus Austrius, qui in Bavaria subjuganda adhuc oc-  
cupabatur, accepto mortis Henrici nuncio eximia per-  
fusus est lætitia, quod eum e vivis sublatum esse accipe-  
ret, cuius vitam perpetuo sibi futuram impedimento,  
quo minus sine turbis Bavaria frui posset, satis prævide-  
bat. Adeo ut omnem curam cogitationemque penitus  
abiceret. Ast oscitantiæ suæ magnam dedit penam.  
Welpho enim Henrici junioris patruus, cum Leopol-  
dum ita incurium insistere animadverteret obsidioni, qua  
Phalejam Bavarie urbem cinxerat, incauto ipsi atque le-  
curo cum forti militum manu de improviso insultavit,  
magnamque in hostibus stragem edens urbem ab obsidi-  
one liberavit. i) Quâ obtentâ victoriâ accensus Welpho  
arma in ipsum Regem tulit. k) qui Veinsbergam urbem  
eodem tempore circumsidebat. Verum eventus non uti  
antea conatus respondit, superatus enim Welpho a Re-  
ge in acie, quam cum eo inierat, magnamque suorum  
cladem passus cum paucis fuga salutem quæsivit. Pau-  
lo post

D

Io post Leopoldus ultimum obūt diem, l) quem frater eius Henricus in Austriae marchionatu excepit. In quem tanta erat Conradi benevolentia, ut non tantum ipsi, restituto prius Ladislao Bohemo in Ducatum suum, m) Bavariam rursus possidendam concederet, verum etiam iecta cum saxonibus pace, n) viduam Henrici, matrem junioris Ducis Saxonie in matrimonium daret. Quod etiam atque etiam Welphonis lacerasit animum o) de gravi conquerentis injuria, quam sibi Rex Bavariam Henrico tribuendo intulerit, quæ ad se jure meritoque spectaret. Cumque jus sibi reddi petens repulsam tulisset, armis id prosecuturus Bavariam ingressus, Rege autem Henrico suppetias ferente, re infecta inde egressus est.

b) Ad quod faciendum lati sunt Saxones ingenuo amore, quo Ducem suum Henricum, cuius mortem adhuc graviter dolebant, amplexi fuerant. Alias enim tantum pondus apud eos non habuissent forte præces, quibus Henricum saxones ad parem in fide filio suo præstanda constantiam moribundum excitasse commonebat Otto Fr. in Cbr. l. 7. c. 25. Quo mortuo saxones amore filii sui parvuli, quem eis adhuc vivens commendaverat Regi denuo rebellant. Helmoldus in Cbr. Slav. l. 1. c. 57. n. 9; Obtinuitque filius ejus Henricus Leo duceatum Saxonie puer adhuc infantulus. Addatur Chronicon Gozenze a Madero publicatum ad an. 1139.

3) Documento est Otto Fr. l. 7. c. 25. n. 4. Leopoldus vero Ducatum ex hinc Noricum potenter se babere confidens, cum in obsidione castri Phaleja duorum fratrum, qui soli ex Noricis Baronibus in parte Ducis Henrici steterant, inculta moraretur, Guelfo Ducis Henrici frater ex improviso collecto milite superveniens fortissime pugnando, casis ex terraque parte pluribus militis captivatis Ducem cedere coegerit. Extiterunt autem hi duo fratres ex Scheirensium comitum prosapia antiquissima oriundi, quorum pater Arnulphus, in erciscunda cum fratre suo Othono hereditate Dachavium consecutus fuerat, cuius castri nomen postmodum

modum in prosapia ejus appellationem conversum est. Nomina autem duorum istorum fratrum, quorum non expressis nominibus meminit Frising. fuerunt Otto & Coaradus. Uti docet Adelsreuter in Annal. Bojic. part. 1. lib. 21. n. 1. qui pariter situm castri Phalejæ antiquum, quoque nomine, quæ ejus adhuc supersunt, rudera hodierno appellentur tempore, ibidem indicavit.

k) Idem Otto loc. & cap. cit. hisce utitur verbis: *His elatus successibus (scilicet Welpho) dum Regem non multo post in obsidione castri Weinberg morantem pugna aggredi attentat, amissis multis, cum paucis fugit & prelio: Goifrid. Viterb. in Chron. part. 17. edit. Pistor. p. 512.* Weinsberga haec antiqui Guelphici patrimonii pars erat, quod Welphi ad Lacum Bodamicum, ubi hodie Ravensbergum situm tenuere. *Vid. Introduc. Excell. Leibnizii ad Scriptor. Brunsvic. ad Chron. Monach. Weingart.* Hæc in divisione terrarum, quas Pater Henricus niger binis filiis suis Henrico & Welphoni reliquerat, huic cesserat. Quare mirum esse nemini potest, quod, cum Weinsberga Welphonis propria extiterit, tam celeriter ad opem rei propriæ ferendam eamque tuendam cum exercitu appropaverit. Quæ tamen cum Welpho vietus conatus suo excidisset omni ulterioris auxiliī spe destituta sese Regi dedere tandem adacta fuit. Ibique contigisse nonnulli fabulantur mulieres istius urbis, quibus Rex in legibus deditioñis pollicitus erat, tantum se a direptionibus militum ac furore salvum habituras, quantum cervicibus exportare possent, in perpetuum ac nunquam penes omnem posteritatem intermorituruñ fidei conjugalis exemplum, auro mundo, omnibusque prætiosis, quibus mulieribus juxta vitam alias nihil charior cariorque esse solet, cum solis maritis humeris suis impositis ex urbe exivisse. Quemadmodum id refert Tritheimius in Chron. Hirsprung ad an. 1140. p. m. 409. ex quo idem repertunt Schaten in Annal. Paderb. tom. 1. an. 1140. p. 755. & Adelsreuter in Annal. Boj. part. 1. lib. 21. n. 2. Hi more catholicorum, quorum animi propensiōres sunt fa-

cilioresque ad aliquid, præsertim quod miraculi alicujus vel mysterii specie sese commendat credendum, fabulae huic fidem habent. Id vero cum ex nullo illius ætatis scriptore doceamur, neque enim in Otto Fris. *supra allegato* neque in Dodechini *Appendice ad Mar. Scot.* qui ad an. 1140. Weinbergæ obsidionem ejusdemque expugnationem commemoravit, neque in *Ursperg. Chronico* hujus historiæ offendere ac legere licet vestigium, merito subscribimus *Excell. Leibniz.*, qui eam fabulam sapere merito sensit & scripsit in *notula ad Chr. Weingart. Monach. de Guelf. Princip.* quod publicavit in tom. Rer. Brunsvic. p. 789. lit. L. signata. Nec siccò hic transire calamo aut silentio præterire possumus, a multis statui, factiōes illas, quæ postmodum in Italia subortæ sunt, altera Gibellinorum dicta Cæsarum jura altera Guelphorum nuncupata Papæ jura propugnante, a pugna hac Weinsbergæ obsidionali appellationis suæ repetere originem. Welphonem enim in acie tessera præliari suo nomine appellata, Regios vero quadam, cui civitatis Giblingæ germ. Weiblingen / ubi Rex Conradus infantia suæ plurimos transgerat annos, nomen impositum erat, usos fuisse, hæcque nomina Italos deinceps denominandis quæ in Italia nata sunt, adhibuisse factiōibus opinio fert Adelsreuteri in *Annal. Bojic.* loc. *supra citat.* Conf. etiam Trithem. in *Chron. Hirsaug.* tom. i. p. lxx. 409. Ego id in medio relinquo de eo certus, quod itali appellationem, quam factiōi, quæ pro Cæsarum juribus militabat, dederunt, ab arce Giblinga ideo desumserint, quod urbs hæc diuturna Conradi sedes fuerit. Factiōi autem eorum, qui Papæ jura contra Cæsares defendendo addicti e. ant, haud melius atque accommodatius indere potuerunt nomen, quam Guelphorum, cum inter hos & Gibellinos seu Hohenstauvios odium fuerit plusquam Vatinianum cui non nisi illorum exitium perniciosissimum diu exoptatum exitum atque finem fecit.

1) Mæror, quem Leopoldus ex accepta, a Welphone clade suscep-

\* (29) \*

ceptaque post modum adversus cum expeditione parum ex opinione fluente concepisse videtur, mortem ejus sine dubio acceleravit. Sribit enim Otto Fris. in Chron. l. 7. cap. 25. Leopoldum cladem, qua a Welphone prope Phalejam urbem affectus erat tam indigne tulisse, ut ad vindicandum dedecus, quod inde sibi conciliatum credebat, copias quidem contraxerit, sed ad Licium amnem usque tantum progressus destructis ibidem hostium suorum quibusdam munimentis in Bavariam reversus sit. Redux factus post breve temporis spatium Ratisbona morbo affectus animam expiravit. Conf. de morte ejus Ursperg. p. m. 280, & Adelsreuter in Annal. Bojic. part. 1. lib. 21. n. 3.

m) Antequam Rex iter in Saxoniam inivit, Ladislauum Bohemiae Duce, qui a Conrado Moravensium comite Ducatu suo exturbatus ad Regis confugerat patrocinium, in Ducatum suum reduxit, & feliciter restituit. testatum hoc facit Otto Fr. in Chron. l. 7. c. 26. verbis, qua ita se habent; *Dux Ladislauus profugus ad Regem veniens casum suum deplorat. Quem Res misericordia motus cum exercitu in Bohemiam reduxit, ac Pentecoste in urbe Praga Provincia istius metropoli celebrata Conrado fugato in Ducatum restituit. Quod auxilium Rex Duci Bohemiae recusare non potuit, utpote qui vasallus Regis & imperii existens id ab eo vi mutuae obligationis, quae inter Dominum & Vasallum ad se invicem defendendum intercedit, optimo jure exigere valebat. Ut enim brevitas studiosus sicco transeam pede loca scriptorum antiquiorum, ex quibus Duces Bohemiae se vasallos imperatorum ac Regum Germaniae gesuisse homagiumque iisdem præstissem luce clarissus appareret, mihi ad id probandum unicum Ottonis Fris. sufficere videtur testimonium, quod in lib. 1. de Gesl. Frid. c. 2. o. sequentibus legitur verbis; Tandem Henrico Saxonie Marchione qui de sorore Duci natus erat, mediante ad pedes imperatoris (Lotharii scilicet) satisfactionem offerens humiliter Dux venit hominumque sibi cum sacramento fidelitatis exhibens, Ducatum ab eo suscepit. Tametsi enim aliquando quosdam ex ducibus Bohemiae Regis*

\* (30) \*

Regis titulo atque honore ab Imperatoribus donatos fuisse legamus, tamen nec illo tempore nec sequiori, quo Regis dignitas perpetua iis ac hereditaria facta est, ipse que Ducatus Bohemæ in Regnum fuit transformatus a nexu illo vasallitico seu feudal, quo Regibus et imperio Germanico obstricti erant, minime soluti sunt. Verum ille illæsus ac integer ad nostra usque tempora servatus est & durat *Vid. Conring. de Finib. Imper. l. 2, c. 29. Thülemar. de Octovirat. cap. 14. §. 36-37. Coccejus de jure Publ. p. 67. Schweder. in Jur. Publ. c. 4. §. 29.* Ait quo tempore regale dignitatem in Bohemiam inventam Ducatumque Bohemæ regni formam induisse statuendum sit in id si hic paucis penitus inquiram operæ præmium valitum spero. Certum & indubitatum est, everso regno magno Moravico seu Slavico, quod Zuentiboldus affectabat, ab Arnolpho Rege, *Regino ad an. 890. Luidprand. bistoriashi temporis lib. 1. cap. 8.* primum ex Imperatoribus fuisse, nec hoc antiquius dari exemplum, Henricum IV. qui Udalrico Bohemorum Duci in præmium navatae in bello adversus Anticasarem Rudolphum operæ regium diadema regiumque honorem indulxit. Id quod ex *Cosma Pragensi ad an. 1086. & Monacho Pegaviensi ad an. 1072.* temporis istius scriptoribus addiscimus. *Conf. Eneas Sylv. in bistor. Boh. c. 22. & Dubrav. l. 9. Goldast. tom. 2. der Reich-Sch. p. 9.* Hec dignitas autem ad solam Uladislai personalis resticta mereque personalis fuit, hinc cum morte ejus rursus evanuit nec ad successores transmissa fuit, quos Ducis titulum rursus in usum revocasse scriptores subsequentium temporum satis superque comprobant, quibus ipse Otto Fris. in loc. jamjam citat. accenseri potest. Friderici, qui Conradum exceptit, historia secundum ejus mihi suggestum exemplum, hic enim Ladislao bene de se merito regium impertivit atque restituit Titulum, *Radevicus Ottonis Fris. Continuator. lib. 1. cap. 12. Ligurinus hujus temporis poëta. l. 6, de G. Frid. 1. edit. Reuber. p. 372. n. 20.*

Hoc quoque convenit Procerum Dux ille Bohemus

Fama

\* (31) \*

Fama Labeslaum, quem nominat ob sua gesta

Fortiter & bello nuper spectata Polono

Ex Duce Rex fieri meruit gestisque potenti hisce

Sceptra manu cinxitque novo diademato crines

Conf. Goldast, tom. i. der Reichs-Gaß p. 13. Aeneas Sylv. hist. Bo-  
hemie c. 24. Et quamvis inficias ire non licet, imperato-  
rem hoc beneficium non in sola Ladeslai persona collo-  
casse, verum etiam ad successores ejus extendisse, uti di-  
ploma ejus gratia confectum expressis hisce inculcat ver-  
bis. Noveris posteritas qualiter nos Wladislao Duci Bohemiae ob in-  
signia servitii & devotionis, tam ejus quam omnium Bohemorum  
merita, honoris insignia, quo avus & ceteri ejus progenitores Duces  
Bohemie beneficio imperialis excellentie, ceteris Ducibus preeminebant  
circulum videlicet gestandum (vid. Ducangium in Gloss. ad voc. aure-  
um circulum, qui circulum aureum Regibus absque corona  
tribui exemplis uberrimis ostendit) concessimus, & per cum  
omnibus successoribus suis in perpetuum decernimus &c. Datum Ra-  
tibone XV. Kal. Febr. indit. V. anno MCLVIII. regni nostri anno  
VI. imperii III. integrum diploma insertum est a Persina Epi-  
scopo Samandrensi & ecclesie Metropolitane Pragensis Decano Marti  
Moravico Prage an. 1677. ab ipso edito. Attamen Imperator  
Fridericus alienato postmodum a se Ladislao & cum Pa-  
pæ Alexandro hoste imperatoris sese socianti hanc digni-  
tatem rursus ademit, & Sobislao in locum ejus reposito  
non nisi Ducis titulum concessit, quod probat Schaten in  
Annal. Paderb. ad an. 1173. pag. 337. Conf. Aeneas Sylv. in hist. Bo-  
hem. c. 25. Origo atque initium perpetui Regii Tituli ulus  
repetendum est a turbulentis Philippi Suevi & Ottonis Sa-  
xonis, qui de imperio invicem decertabant ut & Frideri-  
ci Imperatoris secundi temporibus. Philippus enim ut  
Premislaus Odakerum seu Ottocarum Bohemia Ducem  
eo firmius parti sua adjungeret ac devinciret, eum ad Re-  
giam dignitatem rursus eveyxit. Arnoldi Lub. l. 6. c. 2. n. 2. ver-  
ba hic faciunt: Bojohemo etiam major dignitas accesit, ut cum  
antea Ducatum teneret, Titulo Regio a Philippo sublimatus ibi & ipse  
proce-

procederet coronatus & gladii Regis bajulus. Conf. Goldast. tom. 2. der  
 Reichssch. p. 14. Eneas Sylvius in hisor. Bohem. c. 26. Papæ In-  
 nocentio tertio, qui ab Ottonis parte stabat hoc auditu  
 fuit valde inacceptum graviterq; displicuit. Quare episto-  
 lam hanc, quæ est in Registro Epistolar. Innocentii III. a Steph. Ba-  
 luzio evulgatarum 43. Ottokaro misit, cuius excerpta hic da-  
 mus. Esi commendabilis in eo videaris, quod ad honoris, &  
 dignitatis tue profectum & augmentum intendis, reprobensibilis tamen  
 apparet ex eo, quod ab eo imponi tibi petiisti regiam diadema, qui  
 nondum legitime dignitatem regiam est adeptus. -- Volentes tamen  
 honorituo solicitudine paterna consulere, nobilitatem tuam monemus  
 & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus, ut  
 Carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum  
 Imperatorem electo & a nobis opportuno tempore dante Domino co-  
 ronando fideliter & constanter adhæreas & ab ipso tibi imponi po-  
 stules regium diadema -- ita nos procurabimus ex collata nobis ple-  
 nitudine potestatis ut quod factum fuerit etiam posterorum tuorum tem-  
 poribus obtineat firmitatem &c. Hæc epistola stimulum sub-  
 didisse videtur Ottokaro, ut a Philippo deficiendi ansam  
 postea quæsiverit, & Ottonis partes amplexus sit, de quo  
 disfido ejusque causa potest: Arnoldus Lubec. Chron. Slav.  
 l. 6. c. 5. Lucem huic conjecturæ afferet Epistola ejusdem  
 Papæ ad eundem Ottokarum exarata, quam ex Raynaldi An-  
 nal. Ecclesiast. tom. XIII. & Cherubini Bullario magn. Tom. 1. sub in-  
 nocent. III. p. 109. desumptam inseruit Litteris publicis Re-  
 gnum Bohemiae concernentibus Balbin. in Miscellan. His-  
 tor. Regn. Bohem. Decad. 1. lib. VIII. Volum. 1. p. 6. Epistola ipsa hæc  
 est: Licit ante tue promotionis tempora multi fuerint in Bohemia  
 Regio diademate insigniti, nunquam tamen potuerunt a predecessoris  
 bus nostris Romanis pontificibus obtainere, ut Reges eorum in suis li-  
 teris nominarint. Nos quoque tum predecessorum nostrorum vesti-  
 giis inherentes tum considerantes sollicite, quod a nobili Viro Duce  
 Suevia Philippo te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non  
 fuisset nec te nec alium poterat legitime coronare, Regem te hactenus  
 non duximus nominandum. Verum cum ad commonitionem  
 Aposto-

\* (33) \*

Apostolicæ & nostrum relicto Duce Suevia ad clarissimum in Christo Filium nostrum illustrem Regem Ottinem in Romanorum Imperatorem electum te convertebis, usus consilio saniori, & ipse habet te pro Rege tam intuitu precum ejus, quam tuæ devotionis obtentu, Regem te de cetero reputare volumus & vocare &c. Datum Later decima tertia Kalendas Maii anno septimo: Idem Ottocarus suffragio suo quod pro Friderico secundo in Imperatorem eligendo tulerat promeruit, ut hic expresso rursus diplomatico ipsi dignitatem Regalem, qua a Philippo donatus fuerat, successoribusq; ejus non solum confirmaret, verum etiam majora adhuc ulterioraq; privilegia ac beneficia conferret: retento tamen sibi jure directi dominii. Ex diplomate, quod in Goldasto de Regn. Bohem. in Append. Docum. f. 21. & in Deduct. Statuum Bohem. contra Ferdinand. 2. p. 30. seqq. item in Balbino cit. loc. p. 7. legi potest, sequentia tantum libuit addere verba; eò, quod Illustris Rex eorum Ottocarus a primo inter alios principes præ ceteris in Imperatorem nos elegit & nostre electionis perseverantie diligenter & wiliter adstiterit, sicut dilectus patruus noster pia memoria Rex Philippus omnium principum habito consilio per suum privilegium instituit, ipsum Regem instituimus & confirmamus, & tam sanctam & dignam constitutionem approbamus, Regnumque Bohemie liberaliter, & absque omni pecunie exactione, & consueta Curie nostra iustitia sibi suisque successoribus in perpetuum concedimus. Volentes ut quicunque ab his in Regem electus fuerit, ad nos vel successores nostros accedat Regalia de debito more recepturus: &c. Atque hæc est epocha, a qua usque ad nostra tempora quin regium titulum usurpaverint olim Dukes Bohemiæ Ducatusque Bohemiæ regni formam præstulerit adiuncta testimonia neminem dubitare sinere sentio. Aberrarunt itaque a janua aberrantque omnes, qui ejus initium alio tempore cepisse opinionem fovere, atque fovent. E quorum numero sunt: Excellent. Coccoj. de jur. publ. c. III. Sec. IV. §. 64. & Celebr. Pagi in Crit. ad Baron. ad an. 1086. n. XI. circa in finem Limneus in jure Publico. 2. g. n. 19. seqq.

E

qui

\* (34) \*

qui putavit causam fuisse, quod mortuo Uratislao, qui ab Henrico IV. regio titulo affectus & donatus fuerat, successores ejus regis titulum non adhibuerint, non hanc, quod soli Uralislai persona hac dignitas concessa erat, sed civilitatem eorum, qua ducti ab usu ejus abstinuerint.

n) Conradus, quem forte non fugiebat, quam diuturnum & negotiosum olim Avo suo Henrico IV. cum Saxonibus fuerit gerendum bellum timebat, ne eos magis irritando ad simile propositum atque ferociam adducret ac lacereret. Sentiebat enim Rex, Saxonum populum eum esse, a quo plus Pacis tempore & indulgenter eos habendo quam armis obtineri posset. Ut innuit Otto Fr. in Chron. l. 7. c. 24. Saxones ex bino Regi rebellantes plus manfactudine illius quam armis inclinanur. Quamobrem Rex non animo bellum Saxonibus inferendi sed pacem cum iis pangendi, non ut hostis sed ut προσεγνής Saxoniam ingressus est, conciliata enim inter se & Saxones pace, pariter inter Henricum Austrium fratrem suum ut & Henrici defuncti Saxoniz Duci viduam Gertrudem conciliavit matrimonium eique Noricum Ducatum concescit, quem consilio matris Duci Henrici filius (scilicet Henricus junior seu Leo) jam abdicaverat, quæ sunt verba Ott. Fr. in Chron. l. 7. c. 26. legantur & Helmold. in Chr. Slav. l. 1. c. 56. n. ii. & Dodecabin. in Append. ad Mar. Scot. an. 1142.

o) Velpho enim frater Henrici defuncti erat, & ideo potius ei jus fuit in Bavariam quam Henrico Leopoldi fratri. Posito enim Henricum Magnanimum dignum fuisse, cui Rex Noricum Ducatum admireret, mortuo Leopoldo Velphonis jus utpote antiquius & diutius quæstitum pravare omnino debuisse juri Henrici, si quod ei competere potuisset. Nec Henricus senior peccando, si ira est, nec Henricus junior renunciando juri suo, nequidem sibi ob judicii infirmitatem, multo minus Velphonis jus ultra ratione imminuere aut extinguere valuerunt Ottonis Fris. verba i-

\* (35) \*

ba ipsa hic libet afferre, quæ habentur in *Chron.* ejus l. 7. c.  
26. *Guelpho enim Princeps prefatum Ducatum (Noricum scilicet)*  
*se jure hereditario contigisse calumnians* (quo verbo semper uti-  
tur Otto, quories Velphos Conrado obstitisse refert) *ar-*  
*vata manu in presentia Duci Bavariam ingreditur, parteque pro-*  
*vincie vastata regreditur* - - *Cui dum Guelpho cum copiis oc-*  
*currere parat, audito quod Rex superventurus esset, cessit.*

§. 8.

Hoc tempore contigit, quod omnes ferme Reges  
atque Principes, qui Christianam se etabrantur religionem,  
uniuersi vii sua suadela fere induci passi sunt ad suscipi-  
endam conjunctis viribus in terram sanctam p) expeditio-  
nem. Bernhardus ille fuit Clarevallenfis Abbas q) Hic  
Rege Galliarum r) Proceribusque ejus ad assensum perno-  
tis, nulli desuit occasione, quæ ei in adducendo pariter  
Orientalis Francie Moderatorem Principesq; ad idem pro-  
positum adjumento esse possit. Quamobrem noscens  
Spiræ Regem ac Proceres Germaniæ ad comitia ibidem  
celebranda convenisse, se & confessim eo contulit s) ac  
impertito ipsi ad Regem aditu, ejus &, qui aderant sin-  
gulorum animos præter opinionem incredibili, qua pol-  
luit suadendi vi, ita vicit, ut haud ullus ex omnibus fuerit,  
qui non ultro fere sacræ expeditioni obtulerit. Quin  
præterea illa, quam summus Pontifex ei largitus erat, e  
suggesstu homines ad sacram illam expeditionem & mili-  
tiā excitandi facultate tam prospero usus est cum suc-  
cessu, ut brevi temporis intervallo in infinitam t) excre-  
scent multitudinem, qui ardore sermonis ejus inflam-  
mati in hujus expeditionis societatem venirent. Conra-  
dus frequenti anno, habitis primum sub ejus initium in  
Bavaria comitiis, in quibus & Dux istius Provinciæ, &  
qui sunt in ea Episcopi fere omnes nec non Saxones u)  
E 2

sacræ

sacrae militiae nomina sua dederant crucisque signum suscepserant, Comitia Francofurti ad Moenum agenda Episcopis Principibusque indixit. A quibus, cum Proceres admodum ibi frequentes adesse cognosceret, & Bernhardus ab effen quo<sup>v</sup>it qui principes stimulando ad ceptum semel pluri propositum in effectum deducendi in variaque miracula edendo classem belli sacri indefesim eecinit. Cum autem ita convenisset inter Regem atque Proceres de omnibus quae sacro huic bello instituendo maxime opus esse videbantur, & cogitatum est de eo, cui Conrado Rege absente vices ejus in moderandis interim patriæ gubernaculis legarent. Poscebat autem communicatis invicem consiliis collatisque suffragiis communi ore *Henricus Filius v Regis.* Quem pater etiam regni socium declaravit eumque Aquisgrani sacris adhibitis ceremoniis inaugurandum curavit. His comitiis qui pariter intersuerat, Henricus Leo Dux Saxonie alta semper versans mente injuriam quam per ablationem Ducatus Bavariae passus sibi videbatur, in publicum de, ea conqueri<sup>x</sup>) haud erubuit repetens Ducatum a Rege tanquam hereditario jure sibi competentem, sibique nulla poena digno ob nullum, et si pater alicujus insimuletur, ob alienum delictum injuria ablatum. Rex attonus hac citram omnium opinionem a juvēne etate ac viribus florentissimo facta sibi allocutione, animum cum collegisset disfusulans indignationem serena fronte lenibusque ei respondit verbis; Velle se finita, cui proxime accingendus sit, sacra expeditione, petitis ejus clementer annuere.  
 p) Hyerosolimitani imperii fasces eo tempore, tenuit Balduinus Rex ejus nominis tertius, qui patrem Fulconem non diu mortuum in Regno exceperat, quamuis nondum ipse ob etatis immaturitatem sed mater ejus Melesinde de-

cu s

cus seminarum sui temporis eas gereret, ac majori quam  
qua feminæ alias pollere censemur prudentia admini-  
straret. Admodum tamen inclinatae erant res Christiano-  
rum eodem temporis momento, inque haud modicum ad-  
duxit periculum. Edissa enim urbs munitissima & Me-  
dorum metropolis sese fidei eorum committere addacta-  
fuerat, qui fidei Christianæ, quam incolæ profitebantur,  
hostes erant infensissimi. Disidium, quod inter Antioche-  
num Principem ejusque Comitem, cuius curæ urbs com-  
missa erat, agitabatur intempestivum perniciosissimum-  
que ansam præbebat Sagyno viro scleratissimo & Tur-  
carum, qui versus Orientem incolebant, potentissimo  
adoriundi urbem, eamque Christianis suis invicem jur-  
giis impeditis eripiendi. Recuperabatur quidem urbs  
deinceps solertia ejusdem comitis, cuius negligentia an-  
tea perdita erat & sub infidelium potestate ceciderat: Ast  
Noradini, qui Saguino successerat, auspiciis jugo turcico  
rursus vindicata fuit una cum magna Christianorum cla-  
de; Faciente enim aliquando Comite excursionem cum mi-  
litibus suis praesidiariis in hostium obsidentium castra, hi a  
tergo reditu eos in urbem intercludebant, ita ut omnes, qui  
haud fuga servati sunt, misere prosterrentur. Rem ita  
sed amplius recentiuit Willerm. Tyren. lib. 16. c. 4. 14. 15. 16. ex  
cuius capite 18. lib. cis. verba, quibus miserum, in quem re-  
dacta tunc erat Palestina, statum depingit, hic apponere  
volo: *Capta igitur urbe Edeffena rumor latalis memoria plenus*  
*personuit, quod impia gens Turcorum non solum urbem predidit,*  
*sed omnem omnino Orientis tractum licentia liberiore percurrentes no-*  
*nrorum urbes, villas, municipia depopularentur.* Conf. Dodech. ad an.  
1145. Robert. de Monte ad eundem. Otto. Fr. in Cbron. l. 7. c. 30. Qui  
insignem hanc jaucturam, quam Christiani amitendo E-  
disiam fecere, causam dedisse expeditioni sacræ, quam tot  
Reges & Principes postea instituere, claris hisce annota-  
vit verbis. *Ob hoc mota est expeditio maxima contra paganos, &*  
*Regem Persarum a Conrado Rege Romanorum & Ludovico Rege Fran-*  
*corum,*

\* (38) \*

corum, cum summis & pluribus utriusque regni principibus & innu-  
merabili multitudine populi, qui absque omni effectu reversi sunt:  
Legi etiam meretur epistola Papæ Eugenii ad Regem  
Galliarum data: quæ habetur: in Otton. Fris. de Gest. Fr. 1. l.  
1. c. 35.

- 2) Papa accepto tam improsperi Christianorum status in Po-  
lestina nuncio, statim omnes sicut cogitationes in excogita-  
tandis remedii, quæ medenda rei Christianorum tam af-  
flictæ inservire possint. Nullum autem ipsi ad id effici-  
endum visum est accommodatius, quam si Reges atque  
Principes Occidentis ad opem iis ferendam excitare pos-  
set. Qua de causa Bernhardum Abbatem Clarevallensem,  
quem non tantum arte persuadendi multum valere nosce-  
bat, verum etiam cujus verba ob insignis pietatis famam,  
qua apud omnes ferme Christianas gentes percelebris er-  
rat, magnum habitura pondus mens ipsi facilis negotio  
præfigire poterat, inter ceteros huic præfecit negotio.  
Willer. Tyren. lib. 16. c. 18. id calamo suo consignavit; Eugeni-  
us Pupa tertius viros religiosos potentes in opere & sermone ad diver-  
sus Occidentis partes dirigit, qui populis Orientalium fratrum denun-  
ciant pressuras intolerabiles & ad tantas ultimis iri fraterni sagiti-  
nis injurias eos debeant animare. Inter quos vir immortalis memo-  
ria & honeste conversationis speculum Dominus Bernhardus Clareval-  
lensis Abbas præcipuus eligitur: Conf. Otto. Fr. de Gest. Frid. 1. l. 1. c.  
34. Robert. de Monte ad an. 1146.
- 3) Inficias equidem ire non licet, Regem Franciæ Ludovi-  
cum utpote qui magnum sentibat animi dolorem ex tam-  
adversa Christianorum in Oriente fortuna, haud prius in  
animum sibi induxisse auxilio iis venire, quam a Bern-  
hardo aditum. Ut manifeste innuit Otto. Fris. l. 1. de Gest.  
Fr. 1. c. 34. Attamen forsitan non tam facile a Principibus  
fuis ac Proceribus, quos ejus rei gratia convocaverat, af-  
fensum imperasset, nisi Bernhardi oratione & ope adjutus  
in Gestis Ludovici Regis a P. Pitocco publicatis inter historia Fran-  
car. scriptores p. 138. hujus rei offendere licet testimonium  
Rex

\* (39) \*

Rex etiam ut audivit inimicos crucis in tantam presumptionem prorapisse, ut plenus fide & vere catholicus corde pio compatiens tantam injuriam propositum vindicare, & ut ostenderet per effectum, quod mente conceperat eodem anno in castro Veceslaci magnum parlementum congregavit. Ibi Archi-Episcopi & Episcopi & Abbates & magna pars Baronum Francie convenerunt. Nec desuit ibi sanctui Bernhardus Clariwallis Abbas de assumptione crucis predicans. Cujus os in predictando, opitulante sanctitate non laboravit in vacuum. Nam Rex primum profiliens cum magno devotionis ardore signum sancte crucis assumpsit, & post ipsam Regina Alienordis uxor sua. Tunc videntes Prelati & Barones Regem & Reginam signum crucis assumpsisse, cum magno devotionis affectu signum crucis unanimiter assumperunt, &c. Quorum seriem ac nomina alleg. loc. videre licet. Cui adstipulantur Otto, Fr. l. 1. de Gsf. Fr. l. c. 36, Robert. de Monte ad an. 1146. Otto, de S. Blasio in Append. c. i.

- 5) Ottoni Frising. hujus testimonium debemus in lib. 1. de Gsf. Frid. c. 39. Igittu innumerabilibus in Occidentali Gallia ad transmarinam expeditionem excitatis Bernhardus predicationis nomine movendum Orientale Francorum regnum aggredi disponit. Audiens hoc Princeps generalem curiam in nativitate Domini apud Spiram celebrandam indixit. Quo veniens predictus Abbas Principi cum Friderico fratri sui filio aliisque principibus & viris illustribus crucem accipere persuasit plurima vel in occulto vel publico faciendo miracula. Observatu dignum est hoc tempore Germaniam nostram Francic Orientalis regni nomine insignire adhuc usitatum valde ac familiare esse scriptoribus, cuius exemplum post Friderici Conradi in regno successoris atatem raro, sed dixerim nunquam forte legetur. Nec infactum hic relinquere possumus ultimum fratri Conradi Regis Friderici diem, quem hoc tempore obiit teste Ottone Fr. alleg. loc. magnopere irati in Fratrem, quod filium suum Fridericum, in quo omnis ejus spes & gaudium posicium erat, a sacra militia non arcuerat.
- 6) Dignus est, qui hic recitetur locus Otron. Fr. de G. Frid. l. 1. c. 40. quod exinde disci & intelligi potest ex cuius farinx homini-

minibus aliqua ex parte magna illa hominum colluvies fuerit composita. Tanta etiam (enrum dictu) predonum & latronum advolabat multitudo, ut nullus sani capitis hanc tam subitam, quam in solitam mutationem, ex dextra excisi provenire non cognosceret, cognoscendo attonita mente non obfupseretur: Id unicum forsan exitit commodum, quod Germania ex expeditionibus sacris percepit quod a scelerofis & malevolis purgata & defacata fuerit hominibus.

- ii) Verum hi arma in Palestinam ferre renuebant, se ea Slavis, qui itidem ignari fidei Christianæ ac ejus dogmatum non raro limites eorum infestarent, illatueros esse pollicebantur *Othonis Fris. verba in lib. i. de Gest. Frid. i. c. 40. in fin. adscribi* merentur, quod eam, quæ inter crucem, quam saxones in signum sacræ militiae accepere, & crucem, qua versus Orientem tendentes insigniti sunt, intereeserit, produnt differentiam. Saxones vero, qui quasdam gentes spurciis idolorum deditas vicinas habent ad Orientem proficiunt abnuentes, crucis itidem easdem gentes bello attentatui affunspserunt: a nostris in hoc distantes, quod non simpliciter vestibus assute, sed a rota subterposta, in altum protendebantur.
- iii) Vid. Helmold. in Chron. Slav. lib. i. c. 49. Robert. de monte ad an. 1147. quorum ille miracula, quibus Bernhardus praesentium oculos summæ pietatis opinione præstrinxit, prolixe descripti.

- iv) Otto. Fris. l. i. de Gest. F. c. 43. At Conradus Romanorum Rex Principes convocans in oppido Orientalis Francie Frankfurt. generaliter curiam celebrat. ibique filio suo Henrico adhuc puero per electionem principum Rege constituto, in Palatio Aquis eum Domenica mediana Quadragesima Regem inungi ac coronari jubens regni participem elegit. Quo anno natus fuerit hic Henricus, de eo mihi non constat, quin vero & vxore Conradi Gertudis nomine in lucem editus fuerit dubium non est, duas enim Conrado fuisse uxores nullibi legimus imo ne hujus quidem conjugis nomen scriptores illius temporis me penes legisse recordor: Apparet autem id ex binis diplomaticis Conradi

\* (41) \*

Conradi quæ debemus *Wilhelm. Heda in historia ultrajel. p. 163.* & 166. in quibus Conjugem suam bis ita nominat. & Dilectam conjugem nostram Gertrudim Reginam &c. interventu etiam Dilecta conjugis nostre Gertrudis Regine &c. Fuisse hanc Gertrudim filiam Berengarii Comitis Sutzbachensis sororemque Conjugis Emanuelis Imperatoris Constantini tradit *Willer. Tyrens. in hist. de bello sacro lib. 16. cap. 23. sub fine: Nam eorum (scilicet Emanuelis & Conradi) uxores sorores erant, filiae Berengarii senioris Comitis de Sulcepach, magni & egregii principis, & in regno Theutonicorum potentissimi, mortem hujus comitis commemorat Otto. de S. Blasio c. 20.*

- x) *Otto. Fr. l. i. de Gesl. Frid. c. 43. in fin. Ad predicatam curiam Henricus Noriorum Ducus filius, qui jam adoleverat, venit Ducatum Noricum, quem patri suo non iuste abjudicatum afferbat jure hereditario reposcens. Quem princeps multa prudentia & ingenio induxit usque ad redditum suum suspendens, quiete expectare justit. Verum aliud Conrado resedisse propositum in mente retentum, eventus edocuit. Quare Helmold. in c. 72. scripsit Vivente Conrado Henricum Bavariam recuperare non valuisse. Conf. Adelsreut. in Annal. Bojor. p. 1. l. 21. n. 12.*

§. 9.

Ordinatis omnibus, ac optime instructo ex infinita hominum multitudine composito exercitu, soluta hyeme sacræ expeditioni initium x] datum est. Et quamvis de tanto y) & tam fortí exercitu nil nisi maxima imotius, qua late patet Orientis subjugationem sperare ominarie licet, fortunaque pariter primis hujus expeditionis initiis z) admodum favere videretur. Attamen paulo post adeo sœvire cœpit in universum exercitum iniqua & adversa fortuna, ut integro exercitu aqua, fame, siti ac insidiis ferme in ipso adhuc itinere extincto & consumpto a) vix decima tam numerosi agminis pars Palestinam & quidem ægre attigerit. Ita ut re penitus infecta Conradus Rex sequenti anno multa discrimina perpe-

F

sus



\* (42) \*

sus infelix in Germaniam rediret b) omnibusque pateficeret fraus pia D. Bernhardi quam Regibus ac Principibus imposuerat persuadendo iis c) ccelitus sibi indicatum, tempus venisse illumque eluxisse diem, quo recuperande palestinæ opera navanda sit, nunc vero re amissa ac improspere gesta improsperi hujus expeditionis eventus causam ad ignota Dei judicia, quæ percontari homini nefas sit eorumque, qui expeditionem suscepserint, peccata referre nullus non erubescerat.

x) Norimberga, quæ tristem casum, quem ab Henrico V. passa fuerat (vid. Otto. Fr. l. 7. Chr. c. 8. qui vero desolationem reticet) huc usque in ruderibus suis deplorabat, nunquam forsan caput rursus extulisset, nisi Conradum nostrum natæ fuisset restauratorem, qui Noribergam tanquam jure hereditario possidisse ab Otto. Fr. 1. l. c. 16. dicitur. Hic enim captus loci amoenitate in deliciis habebat ibi degere. Hinc urbem ab interitu revocare & pristino splendori restituere studuit, quod institutio Abbatæ S. Egidii, quam suauis D. Bernhardi condidisse dicitur, & reliqua accessiones, quibus ejus auspiciis urbs aucta fuit clarissime demonstrant de quibus lege Wagensel. de Civit. Norimb. in cap. 4. p. 22. & c. 10. p. 74. seqq. Ibi pariter hyemem exegerat Conradus, Norimberga enim Regem se commovisse ad sacram aggregendum iter & Ratisbonam profectum esse legimus in Ott. Fr. l. 1. de Gest. Frid. c. 44. ubi trajecto Danubio cum exercitu in Austriam descendit. Willer. Tyren. hist. lib. 16. c. 19.

y) Otto. Fr. ciz. loc. & cap. scribit, tantam fuisse multitudinem, ut & flumina ad navigandum agrorumque latitudo ad ambulandum vix sufficere videatur. Helmold. in Chron. Slav. l. 1. c. 49. Non est recognitum incipit vicinis temporibus, nec anditum a diebus feculit tantum convenisse exercitum, exercitum grandem nimis. Willer. Tyren. cataphractorum septuaginta millia, peditum vero infinitam fuisse resert multitudinem. lib. 16. cap. 19. n. 20. Robert. de Monte ad an-

- ad an. 1147. Conradas Rex merito Majestate innumerabilis  
et virtute incomparabili peregrinationem agressus est.*
- z) Universus etenim exercitus, cui congregando Rex juxta  
*Burgum in Orientali Marchia, qui Ardacher vocatur, ut verbis  
utar Otton. Fris. l. i. de Gist. Frid. c. 44. trium dierum spatium immo-  
ratus fuerat, factio per Austria, Hungariam & Thraciam  
feliciter transitu, omnibusque impedimentis & discrimi-  
nibus, quae in tam longo itinere non raro occurrere so-  
lent, feliciter superatis, ad Regiam urbem (Constantino-  
polim scil.) uti idem loc. cit. c. 45. comminiscitur, proxime  
accesserat Willer. Tyrenf. cit. lib. & cap. n. 50.*
- a) Cum Grecia fines ingressus esset exercitus, nec multuma  
Constantinopoli sede Regia abesset, legati missi sunt ad  
Regem Grecia, qui tam liberum transitum quam com-  
meatum ceteraque, quibus exercitus carere non potest,  
emendi in terris ejus ab eo expeterent libertatem. Re-  
gem, qui audierat, tot armatos homines pedes suis intu-  
lisce finibus, timor incessanter ne hostilem forsitan afferrent  
animum suaque agatur res. Quamobrem fluctuabat ab  
initio animo, quomodo sibi optima ratione consuleret.  
Cum autem ipsi internunciaretur, ut amicos eos venisse  
pacisque restauranda gratia e patria limitibus excessisse,  
subito precibus legatorum annuit, non tantum securum  
exercitui transitum indulgendo, verum etiam subditos  
suos jubendo, ut ubivis locorum, ubi castra fixuri essent  
cibaria &c. venum exponerent ac offerrent. Helmold. Chron.  
Slav. l. i. c. 60. Hucusque felicibus semper ac secundis avi-  
bus exercitus iter prosequebatur, cumque oppido Chere-  
vach appropinquasset, ab omnibus amoenitate viridis prati  
ac planicie, que memoratum oppidum ambibat, illectis  
castra ibi explicare nec non dies quosdam stativos sume-  
re decernebatur. Tam ad vires amissas & languefactas  
repetendas & recreandas, quam Festi S. Beatæ Virginis  
celebrandi gratia. Verum non diu durabat gaudium,  
quod exercitus ex loci amenitate percipiebat, siquidem in

subitanum ejulatum & tristitiam convertebatur. Venito enim & horrido, effusissimoque, qui ingruerat, imbre amnis vicinus adeo intumescebat, ut littora transcendens campum in quo castra statuta erant inundaret & magnam exercitus partem abreptam suffocaret *Otto. Frising.* qui ipse tragicam hanc mortem oculis suis usurpavit eam prolixè descripsit in *l. i. de Gſt. Frid. c. 45.* Ii qui hac vice mortem effugerant, progredientes alii obviam ivere morti, mortemque morte tantum mutarunt: Trajecto enim mari cum navibus, quarum copiam ipsis fecerat Rex Græcia, alii perfidia legatorum Regis Græcia, qui eos in viam, quia in Persiam eatur, ducere debebant, in devia & deserta loca quasi ad lanienam abducti, & ab infidelibus ex inopinato invasi miserè trucidabantur *Willer. Tyrenſ. l. 16. c. 20. seqq.* Alii quorum dux erat Rex Francia *Ludovicus*, collatis cum Saracenis signis aperto vincebantur marte *Willer. Tylber. l. 16. cap. 25.* Alii in primis Germani, qui labores quidem sed inædiā tolerare nequeunt, fame ac siti conficiunt languidum exhalarunt spiritum *Helmold. Chron. Slav. alleg. cap. Chron. Mont. Seren. ad an. 1147. Robert. de Monte an. 1148.* Vid. etiam *Nicetas de Manuele Comneno lib. 5.* qui inter infidias Græcorum, quas vitis Germanorum struxerant, etiam illas tam infames fuisse ut farinæ, quam iis vendidere calcem vel gypsum contusum miscuerint, autor est.

¶ Annus, quo rediit Conradus, fuit millesimus centesimus quadragesimus nonus, quod tot quasi testimonii probatur, quot scriptorum redditum ejus attigere: ut *Chron. Mont. Ser. ad an. 1149. Dodechin. ad an. 1149. Robert. de Monte ad eundem Willer. Tyrenſ. l. 17. histor. sacra cap. 8. subiungere placet locum Gaufredi Prioris Voſtenſis in Chron. apud Labbeum Tom. II. Biblioth: quem repetit Anton. Pagi in Critic. ad Baron. ad an. 1149. n. 1. Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indisciplinate habuerunt, quapropter multi defecerunt, innumerable perierunt propter iniquitatem suam, theſauros Ecclesiastiarum falla promittentes vadimonia ante iter auferabant, & infirmam plebem diris exactionibus affigebant, pompa-*

\* (45) \*

pompaticē secuti sunt & superbi humilem Christum, & erraverunt  
frustra a justo humiliō. Hi omnes vix quandam cepere civitatem cum  
foret numerus innumerās. Conf. Otto, F. l. i. de Gest. Frider. c. 59. Papa  
Eugenius certior factus de Regis ex expeditione sacra in  
Germaniam reditu epistolam ipsi misit consolatoriam, de-  
hortans eum ne nimium det mœrori atque tristitia ob tam  
infastum expeditionis exitum. Habetur autem hæc epi-  
stola in Otton. Fr. l. i. de G. F. c. 61.

c) Helmold. in Chron. Slav. l. i. c. 59. Cœpit sanctus ille, nescio qui  
bus oraculis edictus adhortari principes exterisque fiduciaria plebes, ut  
proficierentur Hierusalem ad comprimendas & Christianis legibus  
subjugandas barbaras Orientis nationes, dicens appropinquare tem-  
pora quo plenitudo gentium introire debeat & sic omnis populus sal-  
vus fiat. De quo si ita certus fuisset sanctus Vir, nec res  
nisi optime evenire potuisset, nec ipse ob infaustum, quem  
habuit exitum opus habuisset consilium suum ac incita-  
mentum scripta Apologia defendere ac a fraudis suspicio-  
ne & mendacii vindicare, quæ præsixa est secundo ejus de  
Consideratione libro uti docet Pagi ad an. 1152. n. 2. Meminit &  
ejusdem Otto, F. de G. F. cap. 60. in. fin.

§. X.

Alter exercitus, qui navalis erat, & ad debellandos,  
qui Christianos in Hispania haud parum affligabant, Mau-  
ros missus erat, fine suo felicius potitus est. Ulisponem  
d) enim terra marique obsidione clausam ex voto ex-  
pugnarunt, internecioni datis omnibus, quos transcen-  
sione facta intra urbis mœnia offendebant. Qua re feliciter  
gesta iter quidem Palæstinam versus continuare de-  
buisset exercitus, ast certior factus, tam improspere ces-  
sisse Germanorum Gallorumque eò tendentium expedi-  
tionem desstitutus a proposito, consultius fore putans, de-  
terreri illorum vestigiis, quam prosequendo eo iter simili  
sese exponere infortunio. Saxones, qui Slavis bellum

inferendo sacra defungi decreverant expeditione, ob *Niccoloti e*) Slavorum Principis tyrannidem, quam in Christianos vicinos miserandum in modum exercebat, duos pariter paraverant exercitus, quorum alteri Episcopus Magdeburgensis praeerat, alteri autem moderabatur ac imperabat Henricus Leo Saxonie Dux. Hi in *animis f*) sibi induxerant populum Slavicum aut penitus exscindendi, aut tam duris forte legibus ad Christianam fidem recipiendam adigendi, quas Carolus Saxonum debellator iis olim imposuerat. Nec dubium est, quin evenatus animo respondisset, si principes intempestive inter se discordes ipsimet haud eum *impedivissent s*) In primis cum eo jam Slavi redacti essent, ut baptisatum reciperent & Christianos in terris suis tolerare sponderent.

*d) Clasiris navalis quæ in Germania adornata, & teste Hel mold. in Cbron. Slav. c. 61. in Hispaniam destinata erat, cum navi gando Oceanum Angliam pervenisset, ibi Anglorum na vibus aucta vela verius Hispaniam torfit, & ad Portuga lensem nobilissimam Galliciæ urbem feliciter applicuit. Alphonsus primus simul ac percepte Christianorum naves ad Galliciæ littora appulsa esse, ex adventu eorum mi rificam hauriens latitudinem opem at iis sibi mauris bellum illaturo ferendam expetit, siquidem eo animo illos advenisse compertum haberet. Hi perito ejus quam libentissime calculum addidere, consiliumque initum fuit ab u traque parte Ulisbonam, quam mauri infidebant, con junctis viribus obsidendi. Id ita memoria prodidit Hel moldus qui Lubecensis erat hocque tempore vivebat cuius & sequentia sunt verba in Cbron. Slav. c. 61. Cujus (scilicet Alphonsi) petitioni faventes abierrunt Lacebonam cum magna navium copia. Res quoque terrestri accedens itinere validum adduxit exercitum, & obessa est civitas terra marisque. Multum ergo tem poris effluxit in obsidione civitatis; Ad ultimum capta civitas pulsatae Barbari Addantur Cbron. Mont. Serap. ad an. 1147. in fine Dodec.*

\* (47) \*

*Dodechinus in Append. ad Mar. Scot. ad an. 1147*, qui ipse expeditioni interfuit. *Robert. de Monte ad eundem*. Hic tempore vivere nec non *Ulisipponensis* urbis obsidione Saracenorūq; ex ea expulsionem egregie descripsérunt. Ex exteris scriptoribus consuli possunt *Hovedenus part. i. p. 489. Marianus lib. X. c. 19. Duard. Nonius de Reg. Portug. p. 1253.* Qui autem de urbis *Lacebone*, sicuri eam appellavit *Helmodus, Ulisbone*, quo nomine cam indigitat *Dodechin vel Ulisponis* uti *Robert. de monte* eam vocat, sītu ac denominatione plura legere cupit, adire potest *Damianum a Goes in Olyssponis descriptione & Ludovicum Nonium de Hispania c. 35.* Qui offendī possunt in tom. 2. *Hispanie illustratae.*

e) *Huic cum significaretur decretam esse expeditionem, sibi que bellum a tot hostibus imminere, legatos ad Adolphum Comitem Holstiae ablegavit ad eum admonendum, ne foderi cum eo initio adjungendo se iis, qui ei bellum minitarentur, vim faciat petendumq; ut ei secum colloquii copiam faceret.* Repulsā his data alii misi sunt legati ad eum redarguendum ruptæ amicitiæ legis. Verum Comes necessitatī, qua ad id faciendum urgeatur, id remittendum esse respondit, fieri enim sine gravi Principum Christianorum offensa non posse, ut cum eo hoste illorum colloquii causa congregeretur. Ex quibus non poterat non Nicolotus satis colligere, bellum quod sibi imminere cernebat, nulla ratione averti posse. Quamobrem ratus satius esse id ultro agere, ad quod se ineluctabiliter necessitate addactum iri prvidebat, & nonsolum muniendo castrum Dubin præmunire sese cœpit, verum etiam Vagriam armis ingressus est, ipsamque Lubecam ab incolis male custoditam intercepit. Hæc inopinata Slavorum invasio effecit, ut Christiani tanto magis copias contrahere terrasque Slavicas adoriri festinarent. *Helmod. in Chr. Slav. 62. & 63.*

f) *Chrōn. Mont. Ser. ad an. 1147.* Eodem anno magna multitudo signatorum contra paganos, Aquilonem versus habitantes profecta est, *ut eos*

- ut eos aut Christiane religioni subdarent, aut omnino delerent.
- a) Principes enim, qui magis commodi rationem habuere, terminosque suos proferre studuerunt, quam Christianam propagare religionem, quo majori fervore bello initium dabant, eo cito sese illius intuitu inde abstrahi passi sunt. Quisque enim timebat, ne alter maius se commodum exinde perciperet neque sibi plus damni, quam commodi conciliaret. Sicuti id Helmoldus care indicat in *Chron. Slav. c. 65.* Dixerunt autem satellites Ducis nostri & Alberti Marchionis ad invicem. Nonne terra, quam devastamus nostra est? Et populus, quem expugnamus, populus noster est? Quare ergo invenimus hostes nostrum ipsi & dissipatores viciagium nostrorum. Ceperunt ergo ea die facere in exercitu tergiversationes, & obſectionem multiplicatis induciis alleviare. *Conf. cap. 68.* Eiusdem. Ottonis Frif. locus etiam subjungi meretur, qui est in *L. de G. F. c. 44.* Qualiter etiam Saxones vicinas, ut dixi, gentes aggressi, Principibus inter se discordantibus ad propria remaverint, à memoria eorum, qui adhuc superfunt, non est alienum.
- b) Testimonium Helmoldi in *Chron. Slav. c. 65.* unum ex omnibus nobis sufficiat. Ad ultimum nostris jam pertasias conventionis facta est, ut Slavi fidem Christianam reciperent & laxarent Danos, quos in potestate haberent. Verum, quamvis multi Slavorum sese baptismio fidei Christianæ initiari paterentur, in ea tamen haud diu constitere, sed metu & necessitate cessante ad idolatriam paganorumque castra rursus perverse delapsi sunt de quo *idem loc. cit.* conquæritur.

## §. XI.

Conradus ex infelici expeditione redux factus Ratisbonæ indixit *comitia i)* ubi ab advenientibus Principibus Proceribusque consolationibus potius ob tam infaustum pii conatus eventum quam gratulationibus excipiebatur. Verum enim vero, quamvis mœror Conradi tantus sane esset, quantus ex re tam male & improspere gesta capi potest maximus, animus tamen eo levari citius potuisset,

nisi

nisi hunc gravior exceperisset dolor, quem ipsi immatura & insperata Henrici magna spei filii *mors k)* qui jam tum in successorem ejus electus erat, infixit acerbissimum. Attamen hic luctus publicus non prævaluit curæ, quam pro Regni salute ac incolumitate faucius et si ejus animus perquam solicite agebat, omnes enim ferme pro more Cæsarum Germaniæ peragravit provincias, ut ipse jus di cendo ac auctoritate sua lites, quæ inter *Episcopos l)* atque Principes horumque *subditos m)* vertebantur, eo felicius citiusque dirimeret & sopiret. Intermedio tempore Henricus Saxonie Dux, qui paulo antea *matrimonium n)* cum Clementia Conradi Zeringensis Ducis filia iniverat, cert nens se spe sua defraudatum esse, fore, ut a Rege rever so juxta promissum ejus in Ducatum Bavariae restituatur vi id consequi annus est, quod precibus non obtinere posse sibi videbatur. Qua de causa, relicta conjugé in Saxonia, que vice ejus in gubernanda Saxonie fungeretur, in Sueviam Bavariam armis ab Henrico repetiturus *abit o)* Hic Regis imploravit auxilium, idque ut ab Henrici hoste infensissimo facili negotio obtinuit. Videns etenim Rex annum, quem Leo præ se ferebat, non esse al lium præterquam eripiendi Henrico Bavariam; ne potentiam suam rursus augeret, perito Alberti Marchionis, qui cum ad Henricum interim Saxonie Ducatu evertendum excitaverat, benignas aures *prabuit p)* armaque cum eo ocyus conjungere pollicitus est. Hoc ita consti tuto, contractis a Rege Goslarie copiis, conjunctis viri bus Brunsuigum Præsidium Henrici omnium munitissi mum aggressi sunt. Henricus, statim ac ei hæc nuncia bantur, depositis vestibus suis plebejo rudique habitu indutus cum tribus tantum aut quatuor fidis comitibus itineri se dedit, eoque quinque dierum intervallo e Bava

ria in Saxoniam feliciter confecto, noctis beneficio adiutus insciis hostibus Brunswigo succesit. Qui ejus adventus omnibus civibus redditum animum, eosque in civitatem omni nisu fortiter defendendo confirmavit. Ita ut Conradus certior factus de Leonis occulto in Brunswigum ingressu, subito ejus expugnationem desperare coepit, obfitionemque ipsam ultero solverit, militibusque Goslariam, unde deduxerat, reductis atque in hyberniis collocatis penitus de instituto in Saxoniam bello destiterit.

i) Totum tempus, quod hac expeditione consumptum erat, duorum annorum haud excescit spatium. Otto Fr. in l. i. de G. F. c. 59. in iuvania (que iunc Salzburg diæla Bojariae metropolitana sedes esse noscitur) Pentecosten celebravit explevis ab eo, quod idem festum in Pannonia finibus egerat, duobus annis. Cui statim subiungit. Inde Ratisbone cum magna Principum frequentia curiam celebravit. Id autem, quod in illis comitiis ventilatum aetumque sit, nemo scriptorum ejus temporis literis mandavit, utpote qui fere omnes hoc scant vito, quod de rebus nihili sapient multa faciant verba integrasque impleant paginas, res vero, quæ statui imperii illius temporis cognoscendo inservire & conducere possunt, siccō transfeant pede.

ii) Otto. Fr. cit. lib. c. 62, Circa idem tempus filius Regis Henricus, quem ipse, ut supra dixi, per electionem principum Regem ordinaverat, diem obiit, habens adhuc alium fratrem parvulum Fridericum.

j) Trajectensis Ecclesia illo tempore magno, quod inter canonicos ejus subortum erat, agitabatur dissidio. Hi enim post obitum Hartieba Episcopi circa electionem novi Praefulsi admodum scidebantur, inque varias abiere partes, quamvis hoc jus non nisi novissimo Conradi beneficio precibus laudati Episcopi ad id permoti deberent, cuius concessionis diploma videre licet apud Hedam in flor. Ultraject. p. 163. Tali Theodoricum Hollandiz, allii Henricum Geldriæ comitem, allii Hermannum ex familia Co-

mitum

mitum de Hoerm oriundum Episcopali dignitati suis ad-  
movere nitebantur suffragiis. Cives quartam constitue-  
bant classem una cum oppidis, quibuscum sociaverant,  
Fridericum de Hoevel Episcopatui praedicere satagentes.  
Ii, qui vota pro Hermanno tulerant, primi rem ad Regem  
Nörimbergæ morantem deferunt, aliisque confirmationem  
investituram regalium præripiunt. Hac autem ratione  
nondum sopia erat discordia, quin potius, quavis parte  
electum suum tueri cupiente, indies magis crescebat.  
Hermannus, qui Regalium investituram jam a Rege con-  
secutus erat, furori tamen insanæ plebis cedere, ac ex  
urbe excedere cogebatur, quæ expulso Hermanno Frideri-  
cum se sustentaram eumque contra quamlibet vim defen-  
suram jactitabat. Rex sinem ponere huic perniciose di-  
scordiæ autoritatemque suam illæsam illibatajamque serva-  
re cupiens iter Noviomagum aggressus est. Quo (peti-  
tis primum ac obtentis a Rege codicillis, quibus iis securè  
eundi redeundique detur licentia) ultrajectenses insignis  
multitudinis sese pariter conculere. Quos Rex pacis stu-  
diosissimus adhibitis pacis suaitionibus ad amicitiam &  
concordiam reducere tentavit, intelligens vero medendæ  
tantæ populi illius pertinaciæ tam lene miteque remediu-  
m non sufficere, se sententia juri stricto conformi item  
dirempturum iisdem significavit. Quod Otto Fr. qui ipse  
Regi in hoc adfuit itinere, hisce extrulit verbis in lib. i. de  
G. F. c. 62. Quos Rex causa ponens ad pacem cum adversariis sine li-  
tis contestatione revocare valens, cum hoc modo procedere non posset,  
iandem ius juris distinctionem obtulit. Cives autem forte veren-  
tes, ne accidaret, ut Regis sententia causæ eorum minus  
saveret, viaticum redeundi, prout id ab Ottone Fr. in alleg. loc.  
appellatur, expetierunt, responderuntque, causam hanc  
ut ecclesiasticam judicio seculari exemptam & coram Pon-  
tifice ventilandam esse. Quod responsum Regiadmodum  
bilem movit, qui eos non solum criminis majestatis læse  
eos damnavit verum etiam teste Ottone cit. cap. ad pœnam

tanto criminis statutam in continentia rapuisset, nisi cum  
 indulto iis libero conductui, uti loqui amant, vim facere  
 religioni sibi duxisset, tum ob excitatos in Bavaria tumultus  
 in Germaniam regredi necesse habuisset. Sedatis iis, ac  
 subordinem revocatis Ottonis Palatini filiis, qui causam  
 turbis dederant, altero ex iis obside retento in Galliam  
 (Belgicam nempe) rursus descendit, ac ut *Ottonis Fris. verba*  
 qua habentur in cit. lib. c. 62. ipsa adducam *Trajectensem*  
 negotium revocatis omnibus ad subjectionem Hermanni, cum imperii  
 honore terminavit. Quod pluribus commemorare volui,  
 quod quivis inde perspiciet, Conradum etiam in Eccle-  
 siasticis controversiis auctoritatem suam cum efficacia in-  
 terposuisse, alteramque majestatis partem, qua jura circa  
 sacra exercet, nondum penitus abiecisse. Cui sententia  
 maximum adfundent lumen sequentia *Ottonis Fris. verba*,  
 qua quoniam, Conradum adhuc Episcopis & Regalium  
 & Pontificalium, uti loquuntur, investituram largitum  
 esse, sub dubium vocari non finunt, integra ex alleg. c. 62.  
 hoc transcribere volui. Arnaldus quoque Colonensis Arbit-  
 Episcopus vitam finivit. Igitur Conradus tam de subrogatione Co-  
 loniensis, quam super determinatione illius controversia (de qua supra  
 differimus) examen latus inferioris Rheni partes adiit. Cumque  
 ad Bobardiam villam regalem venisset, ligatos obvios habuit nunci-  
 antes. Arnaldum Cancellarium suum in prefata Colonensi Ecclesia  
 electum esse, sed eum hujus rei adiensem usque ad adventum ejus di-  
 stulisse. Quid verbum gratarer Rex accepit &c. - - Ibi prae-  
 minatum Colonensem electum excipiens & cum eo inde naves ingres-  
 sus ac per Rhenum remigans Coloniam Agrippinam venit, cum ma-  
 ximo cleri ac populi triplido suscepimus. Igitur finita ut solet processio  
 nis solennitate, Pax in principali B. P. Ecclesia sedens Arnaldum  
 venientem valde ac reclamantem Pontificatus simul & Ducatus rega-  
 libus investit. Tametsi enim Henricus IV. & V. dolo & vi  
 Pontificum juribus imperatorum inhiantum eo addacti  
 fuerint (vid. hujus jusjurandum ex Urspergeni excerptum  
 apud Schat. in An. Pader. part. 1. p. 698.) ut jus investiturae E-  
 pisco-

piscorum in Papam transcriberent, subsequentes tam Reges & Imperatores nihilominus hoc jus aliquando exerceuisse leguntur, de Lothario id testatur *Dodechin. in Chron.* ad an. 1128. De Conradi nil dubii reliquum esse patitur testimonium ex *Ortone* allatum.

m) Conradus Noviomagum tendens Spire per aliquot dierum spatium detentus fuit. ibi enim Wicboldus Corbeiensis Abbas ad eum accessit conquerens de ministerialium suorum insolentia pravisque moribus. Qui eod proceperant, ut Episcopis & Abbatibus ea fere imponere audiebant servitia, ad quae iis praestanda ipsi vi officii adstricti erant. Conradus ut Ministerialium officiis ac potestati certas statueret leges certosque praefigeret terminos, Principes atque Abbates frequentes adesse jussit, quod communem fuisse hanc querelam non obscure innuit. Diploma, quo Conradus ministerialium esfranatam, quam arrogare sibi incipiebant, quicquid audendi licentiam compescuit atque cohibuit, Schaten in *Annal. Paderb. part. 1. p. 783.* in lucem produxit. Quod, eo ipso monente & annotante, vel ideo saltim legi meretur, quod alias obscuri & sepius lecti ast non intellecti ministerialium nominis & vocabuli explicatio optime inde arcessiri posset. Erant autem Ministeriales, qui in aulis Principum vel Episcoporum aut Abbatum aulicis fungebantur officiis, seu barbare ministerii. Ita enim legitur in laudato diplomate; *Quidem de ministerialibus ejus (scil. Wicboldi) Rabano, qui tunc officium Dapiferi administrabat. Item Ministerialis noster Conradus de Wittonson Camerarius noster a thesauris Et. Notatu dignum est, hos ministeriales in comparatione cum aliis Nobilibus, qui nulli officio aulico praeerant, verum vel praediis suis infidebant, vel militiae vacabant, servos audiisse. Quo facili locus, quem in Arnold. Lub. l. 2. c. 2. n. 3. in fine legisse annotavi, seque ita habet. Et alios quam plurimos tam de viris suis liberis, quam ministerialibus: Hic enim ministeriales a viris liberis clare secernuntur, oppositorum autem opposita sit ratio. Ejusdem verba sunt in in lib. citat. c. 31. Multi enim Ministeriales*

\* (54) \*

niferialium Ducis, qui ab incunabulis ab eo educati erant, & quorum Patres sive dubio iis serviverant. Duo haec loca tantum adducere placuit, cum a Dn. Fresnio ad hanc vocem, qui genuinæ ejus significationis eruenda gratia innumera ferme veterum scriptorum loca collegit, ea adducta esse haud animadvertisse. Quo plura legendi cupidum curiosumque remitto. Vid etiam Celeberr. Meibom. in not. ad Chron. Levoldi in tom. 1. Rer. Germ. p. 413. in med. nec non Doßiff. Goldast. in not. ad Radberti casus Monast. S. Galli ad voc. Minisferial. tom. 1. Rer. Allmann. p. 133. imprimit autem, qui hanc materiam plena tractavit, manu Doßiff. Hertius in dissert. de Hominibus Propriis Sect. IV. tom. 2. Opusculor. ejus p. 175. seqq. usq; ad finem.

¶ Literis mandavit hasce Henrici Leonis nuptias Helmold. in Chron. Slav. l. 1. c. 68. In diebus illis Dux noster Adolescentis Domina Clementiam filiam Conradi Ducis de Zeringen duxit uxorem. Adolescentem eum vocat Helmoldus, & ita convenit veritati, si enim tempore obitus Patrii sui quartum vita egit annum, ut supra demonstravi, jam decimum quintum opportet nondum impleverit annum. Ast ab ea postmodum sub proibita cognitionis praetextu divortit, quod legere est in Arnold. Lubec. c. 19. n. 6. Addatur Ursbergens. ad an. 1162. ¶ Helmold. in Chron. Slav. l. 1. c. 70. n. 1. In diebus illis congregavit Dux exercitum ut abiret in Bavariam & requireret Ducatum quem vitrius suus Henricus frater Conradi Regis occupaverat. Conf. Adelsreuter in Annal. Bojor. p. 1. 21. n. 21c

¶ Idem cap. cit. n. 3. Commisit ergo Dux custodiam terra Slavorum atque Nordalbinorum Comiti nostro (scil. Adolpho Holsatiz Comiti) compostisque rebus in Saxonia, profectus est cum militia, ut reciparet Ducatum Bavarie. Porro Ducatrix Domina Clementia remansit Luneburg, fuisse Comes clarissimus in domo ducis, & officiosus in obsequio Ducis, paterque consili.

¶ Hæc & quæ sequuntur omnia veritati esse consentanea, cuivis innoteſcat, qui Helmoldi chron. Slav. c. 72. adire handgravabitur eaque ibi leget, quæ hic brevitatibus gratia recitare noluimus.

s. XII.

Hæc in Saxoniam expeditio rerum a Conrado gestarum seriem

eriem fere claudit. Nihil etenim ex iis nobis reliquum est  
commemorandum, nisi quod reducta in Germaniam Gal-  
liamque quiete, paceque restituta ei in mentem venerit.  
Italiam adeundi imperialeaque dignitatem solemini Ponti-  
ficiis maximi inauguratione rite capessendi. Verum inopi-  
natus haud sine veneni eum suspicione corripuit mor-  
bus r] qui quamvis non impediret, quo minus firmum hoc  
teneret propositum, Proceresque Germaniax ad aggredien-  
dam hancce in Italiam expeditionem Babenbergam convo-  
caret, ei tamen ibidem vitam, quam multi ipsi longiorem  
sinceris adprecabantur votis, immaniter eripuit. s) Fu-  
nus ejus Laurishamum inde deducere in paterno ac avito  
quo locus ille celebris est, tumulo rite deponere quidem  
constitutum erat, verum Babenbergensibus, qui id sibi con-  
tumeliae fore ducebant, refragantibus ibi illatum. est. t)  
r) Otto. Fr. l. 1. de Geſt. Fr. c. 63. Ipſe vero non multo poſt omniibus bene  
in Gallia & Germania compositis, cum etiam jura expeditione in  
proximo imperii coronam accepturus eſſet, non ſine ſuſpicione quorun-  
dam, quos ex Italia habuit, medicorum, quaff ex Rogerio Siculi me-  
tu ſubmiſorum, morbo corripitur. Hic paucis attingere incum-  
bere mihi videtur. Goldſtein opinatum eſſe, Conrado huic  
constitutionem de expeditione Romana, quam Freberus o-  
lim Carolo Crasso attribuit, adſcribendam eſſe, verum  
poſt Schiltorum in Commentar. adjuſt Alleman. Feudal. merito eam  
ex optimis rerum argumentis vindicavit Conrado Salico  
ſeu ſecundo, Celeberr. Schurtzfl. in peculiari diſſertatione de Expe-  
ditione Romana Conrado Salio vindicata inſcripta.  
s) Annus, quo vita defunctus eſt Conradus, eſt millesimus  
centesimus quinquagesimus ſecundus, vulgo Imperator  
dictus, quamvis corona Imperiali ſolenniter non fuerit  
redimitus, quique fuſque deque habuit ſe vel Conradum  
Romanorum Regem tertium vel ſecundum diplomaticis  
præscribere, uti hoc duo diplomata, quorum alterum Hedæ  
in hiſtoria Ultraject. p. 163, alterum Schatenio in Annal. Paderb. part.  
l. p. 779, debemus, ſatis superque evincunt. Mortis ejus  
multas

\* (56) \*

multa suppetunt testimonia. Ex quibus primum, quod est. *Ottonis Fris. l. 1. de G. G. c. 13.* venit recitandum. Sic tamentantio non fratus infirmitatis dolore, curiam celebraturus Babenberg venit ubi cum multorum plantu raptus, prime fortitudini in ultimo dissermine retinens animum, proxima a capite jejuniæ sexta feria id est XV. Kal. Martii vitam finivit. Conf. Idem in Chron. l. 1. cap. ult. Robert de Monte ad an. 1152. Conradus Teutonicorum Rex obiit, qui is annis regnauit benedictionem ramen imperiale non habuit &c. Ad dantur: Dodechin, ad eundem annum item Continuator Lamberti Schaffhausen: & Albert. Stadens. nec non Otto de S. Blasio c. 14. in Appendix: Helmoldus in c. 72. eum anno jam 1151. denatum esse scripsit, cui suffragatur: *Chronici Stederburgenis Autor.* verum hi illis ultra cedunt. Ultimum quod prudentiæ, fere dixerim maximum, posteritati reliqui specimen, fuit, quod decumbens regni insignia fratneli suo Friderico jussit tradenda, manifesto indicio, se velle ac Imperio magis proficuum judicare, ut ille potius in futurum ejus successorem elegatur, quam filius tuus ætate adhuc imbecillis Fridericus Vid. Otto. Fr. l. 1. de G. Tr. cap. ult. Quod consilium etiam Proceres secuti sunt Vid. idem l. 2. de G. Fr. c. 1. 2. Helmold. c. 72.

¶ Otto. Fr. l. 1. de G. F. cap. ult. Volentibus vero familiaribus suis extra ejus, (ut afferbant) petitionem, eum ad Laureacense monasterium deferre, ibique in proprio fundo juxta patrem humare Babengensis Ecclesiæ hoc conumeliosum sibi fore judicans, non permisit: Quin immo convenientissimum & honestissimum & Ecclesia illi, & Imperio docerens, juxta rumbans Imperatoris Henrici ejus loci fundatoris, qui numer per auctoritate Romane Ecclesie in loca sancta levatus pro sancto habetur, Regio cultu eum sepelivit, Continuator Lamberti Schaf. ad an. 1152. idem refert. Falsas id circa esse mihi persuasum habeo opiniones eorum qui eum ut Otto de S. Blasio c. 4. vel Spiræ humatum, vel uti *Conradus Ursperg. & Schaten in Annal. Paderb. p. 1. ad an. 1152.* Lauriaci vel in Laurishamensi coenobio sepultum fuisse scriferunt. Nisi quis ad conciliandos hosce invicem a se dissentientes scriptores, suam facere ac arripere velit opinionem *Autoris Chronici Carionis, qui lib. 4. p. 617.* intestina Conradi Bambergæ & ofsa Laureaci terræ mandata esse statuit.

S. D. G. I. E.





00 A 6428


ULB Halle  
002 927 87X

3



88

WD17



DISSE

A C  
Franc  
TER

SUB A  
RECTOR  
SERENISSI

DN. PHIL  
PRINCIPE PRU  
DVCATV.

IN ILLU

IN

ad di

publico ac pl

ARNOL  
de

Typis CHRISTI

B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

